




LE MONNIER

CURSUS

PHILOSOPHICUS.

MORALIS.

CURSUS PHILOSOPHICUS

AD SCHOLARUM USUM

ACCOMMODATUS.

Authore PETRO LEMONNIER, *Philosophiæ Professore Emerito, in Universitate Studii Parisiensis, in Collegio Harcuriano., cum figuris.*

TOMUS SEXTUS.






P. L. De Traytorrens

PARISIIS,

Apud { LUDOVICUM GENNEAU, sub signo Sancti Petri.
JACOBUM ROLLIN, Filium, sub signo Sancti Athanasii, ad ripam Augustinianorum. }

M. DCC. L.

Cum Approbatione & Privilegio Regis.



MORALIS.



STENDIMUS, Hominem constare ex duabus substantiis valdè diversis, spiritu scilicet & corpore. Probavimus pariter, potentias, tùm activas, tùm passivas, in eâ substantiâ spirituali, quæ dicta fuit anima rationalis, esse numero infinitas; ita tamen ut facultates activæ revocari possent ad duas generales, intellectum scilicet & voluntatem. In Logicâ tradita sunt præcepta, quibus dirigatur intellectus in omnibus suis functionibus, ratione formæ spectatis. In Metaphysicâ dictum fuit de entibus insensilibus, prout sunt objecta functionum intellectualium. In Physicâ, naturam, causas, proprietates, & varias objectorum sensilium affectiones perscrutati sumus; imò partes corporis Humani principes, & earum usus detegere conati sumus; unde functiones intellectuales in Metaphysicâ & Physicâ, directæ fuerunt per ordinem ad objecta. Verùm hæc omnia satis inutilia forent

homini, nisi suos omnes actus debito modo referret ad finem ultimum; superest igitur ea præcipua pars tradenda, cujus præcepta nos ita dirigant, ut mores nostri rectæ rationis dictamini semper sint conformes; & quoniam actus nostros, non tantùm juxtà rectæ rationis regulas, sed etiam secundùm veræ religionis præcepta dirigere tenemur; ideò detectâ hâc verâ religione, Philosophiam nostram Moralem præceptis illius illustrabimus, & corroborabimus.

In hâc Philosophiæ parte pertractandâ, tritam sequemur methodum, & consequenter per modum. Proemii disseremus de ipsâ Morali universim.

Quid sit, & an sit?

Moralis à moribus nomen habet. Mores autem sunt habitus, qui versantur circà objecta, ut relativè bona; hinc Moralis definiri debet, prudentia occupata circà actus, quatenùs ad honestatem dirigibiles. 1°. Igitur *Prudentia*, est genus proximum Moralis. 2°. *Actus humani*, sunt objectum materiale Moralis. 3°. *Dirigibilitas ad honestatem*, est ejus objectum formale. 4°. Denique, actus humani, quatenùs ad honestatem dirigibiles, sunt ejus objectum totale & adæquatum.

Obſervant Philoſophi, diſcrimen eſſe inter actus humanos & actus hominis: ſcilicet, ut aiunt, actus humani, ſunt illi, qui fiunt cum advertentiâ rationis & libertate; actus autem hominis, qui fiunt quidem ab homine, ſed abſque rationis advertentiâ, & abſque libertate. Oſtendemus poſteà, diſcrimen hoc eſſe futile.

Exiſtere Philoſophiam Moralem unuſquiſque conſcius erit, poſtquam noverit præcepta de ſuis actibus, ad honeſtatem dirigendis: interim ſic ſuaderi poteſt hæc exiſtentia. Multi deliberant de agendis, aut fugiendis, & quoſdam conſulunt peritos, qui dubia ſolvere valeant. In his igitur peritis, datur facilitas ritè deducendi concluſiones, ex generalibus rectè vivendi præceptis: hæc autem facilitas vocatur Philoſophia Moralis; proindèque, &c.

Cur ſit Moralis?

Morum honeſtas, ſeu morum conformitas, cum rectâ ratione, dici debet cauſa finalis proxima Philoſophiæ Moralis; & gloria Dei, cauſa finalis ejus remota.

Solus Deus, eſt cauſa efficiens Philoſophiæ Moralis habitualis: probabitur enim poſteà, habitus noſtros à ſolo Deo produci poſſe.

Duplex eſt cauſa efficiens Philoſophiæ Moralis actualis : prima eſt, ipſe Deus, qui nobiſcum concurrit ad omnes actus noſtros ; ſecunda verò, ſunt illi homines, qui generalia rectè vivendi præcepta, vel detexerunt, vel detecta noverunt.

Ideæ noſtræ, ſecundùm quas actus humani producuntur, ſunt cauſæ exemplares Philoſophiæ Moralis actualis.

Qualis ſit Moralis.

Præcipuæ Philoſophiæ Moralis proprietates, ſunt 1°. quòd ſit utilis, tùm Principibus, ut juſtas ferant leges ; tùm Judicibus, ut eas interpretari & executioni mandare valeant ; tùm ſubditis, ut actus ſuos legibus reddant conſonos. 2°. Quòd conducat, tùm ad beatitudinem temporalem, tùm præſertim, ad felicitatem æternam obtinendam.

In ſcholis agitari ſolet hæc quæſtio, an juvenes ſint idonei Philoſophiæ Moralis auditores ? Ut ſolvatur,

Nota, juvenem duplicis generis diſtingui poſſe, ætate & moribus. Juvenis ætate dicitur ille, qui nondum attigit ætatem viri perfecti ; juvenis autem moribus, dicitur ille, qui cupiditatibus ſuis ſervit. Hinc juvenes ætate, non ſunt ſemper ju-

venes moribus ; nec ſenes ætate, ſemper ſunt ſenes moribus. Hoc notato,

Dico, 1°. juvenes moribus, abſolutè loquendo, eſſe Philoſophiæ Moralis auditores idoneos. Ratio eſt, quia pollent facultate cognoſcendi præcepta moralia, ſuntque liberi circà ea, ad praxim redigenda. Quamvis enim in eis ſit vehemens ad malum propenſio, poſſunt tamen & debent ad meliorem frugem ſeſe recipere ; ut conſtare debet ex eo, quòd culpandi ſint, ſi ſuam vivendi rationem non mutent. Unum tamen obiter hîc eſt notandum, vix aliquid boni ſperandum eſſe, tùm à juvenibus ætate, quibus inſunt vitia ſenilia ; tùm à ſenibus ætate, quibus inſunt vitia juvenilia.

At, inquies, non magis juvenes moribus idonei ſunt Philoſophiæ Moralis auditores ; quàm homo podagrâ laborans, idoneus eſt, artis ſaltatoriæ diſcipulus.

Nego paritatem : nam homo podagrâ laborans, liber non eſt circà ipſam excutiendam : at juvenes moribus liberi ſunt, ad reſiſtendum pravis ſuis cupiditatibus, juxtà hæc Scripturæ Sacræ verba. *Sub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius.*

Dico, 2°. juvenes moribus minimè idoneos eſſe Philoſophiæ Moralis auditores, ſive ſint inſuper ætate juvenes, ſive

ſint inſuper ætate ſenes. Ratio prioris partis eſt, quia juvenes moribus ſimul & ætate, ab objectis ſenſilibus & à paſſionibus æſtuantibus ita diſtrahuntur, ut attentionem vix dent ad præcepta moralia; & conſequenter ad praxim ea vix redigant. Ratio poſterioris partis eſt, quia in juvenibus ratione morum, & ſenibus ratione ætatis, habitus ad malum ita ſunt intenſi, ut oppoſitis habitibus vix deleantur.

Dices contrà priorem reſponſionis partem. Juvenes moribus ſimul & ætate, ſunt maximè ſagaces & ingenioſi; ergo, &c.

Diſtinguo antecedens. Sunt maximè ſagaces & ingenioſi circà ea, quæ paſſionibus explendis inſerviunt, concedo. Circà ea, quæ ſunt moraliter honeſta, & circà partem inferiorem domandam, nego. Horatius eleganter deſcribit ea objecta, circà quæ ſagaces ſunt juvenes ætate.

Imberbis juvenis, tandem cuſtode remoto,
Gaudet equis, &c.

Ubi notabis, quæ dicuntur de juvene Pagano, dici non debere de juvene, Chriſti ſanguine redempto.

Dico, 3°. juvenes moribus, modis omnibus invitandos eſſe, ad legenda & audienda præcepta moralia. Qui enim graviſſimis animi morbis laborant, potenter

excitandi sunt ad ejusmodi morborum medelam : at juvenes moribus, gravissimis animi morbis laborant, nimirùm effrænatis cupiditatibus, & plerumque ignorantiâ; aliundè verò, sola præcepta moralia morbis illis mederi possunt, quandoquidem ipsa sola habere possunt gratiam Salvatoris nostri adjunctam.

At, inquies, illi soli sunt ad artes invitandi, qui sunt maximè idonei; ergo cùm juvenes moribus, sint omnium minimè idonei, ad præcepta moralia capessenda, ad ea non sunt invitandi.

Nego consequentiam. Disparitas est, quia non omnes homines tenentur esse, verbi gratiâ, Geometræ, Architecti, &c. sed omnes tenentur & scire, & servare præcepta benè vivendi.

Dico denique, juvenes ætate, qui senes sunt moribus, omnium esse maximè idoneos Philosophiæ Moralis auditores. Qui enim disciplinarum omnium sunt maximè capaces, nullisque retardantur impedimentis, sunt Philosophiæ Moralis auditores omnium maximè idonei : atqui supradicti juvenes sic se habent. Memoriâ quippè flexibili pollent; negotiis civilibus non distrahuntur; in iis nulli supponuntur habitus ad malum; & aliundè præcepta moralia, sunt captu facilia; proindeque, &c.

Quotuplex sit Moralis.

Moralis duplex distinguitur, generalis & specialis. Generalis, dicitur ea, quæ considerat actus humanos universim, traditque præcepta benè vivendi cuilibet vitæ statui communia. Specialis, est ea, quæ considerat actus humanos speciatim sumptos, & tradit præcepta cuique vitæ statui propria. Moralis specialis subdistribuitur in monasticam, œconomicam & politicam. Monastica, dirigit officia hominis erga seipsum; œconomica, erga familiam; & politica, erga Rempublicam.

Quærunt hîc Philosophi, quænam ex his Moralis specialis partibus, sit utilior & præstantior?

Respondeo, 1°. monasticam esse cæteris utiliorem: quia cæterarum est fundamentum, & unicuique privato absolutè necessaria.

Respondeo, 2°. œconomicam esse nobiliorem monasticâ: quia bonum familiæ debet anteponi bono privato.

Respondeo denique, politicam esse cæteris præstantiorem: quia bonum publicum præstantius est & excellentius, tùm bono familiæ, tùm bono privato; ut constare debet ex eo, quòd bonum publicum procurandum sit cum dispendio, tùm boni

familiæ, tùm boni privati, si non possit aliter procurari.

Ubi notabis, hîc non agi de bono cum æternâ felicitate essentialiter connexo. Si enim bonum privatum necessariam habeat connexionem cum æternâ felicitate, nunquam à privatis postponi debet bono, sive familiæ, sive publico; unde hîc agitur solummodò de bonis quibusdam creatis.

Hoc ordine Philosophiam Moralem trademus. 1°. Moralem generalem præmittemus. 2°. Monasticam, œconomicam, & politicam subjungemus.

Moralis generalis.

In hâc parte solvemus quinque quæstiones generales, circà actus humanos universim; & in his quæstionibus discutiendis, varia passim tradentur præcepta, cuilibet vitæ statui communia.

Quid sint, & an sint actus humani?

Actus humani, in rei veritate, sunt cognitiones & volitiones animæ rationalis. Hinc varii motus, qui reperiuntur in corpore humano, propriè loquendo, non sunt actus humani; & consequenter, nec meriti, nec demeriti sunt capaces, nisi quatenùs habent connexionem cum cogita-

tionibus, ſive præcedentibus, ſive concomitantibus.

Exiſtere humanos actus ſic ſumptos, per intimum ſenſum conſtat.

Cur ſint actus humani?

Non agitur hîc de principiis cognitionis actuum humanorum: cùm enim per ſenſum intimum innoteſcant, nihil eſt ipſis notius. Non agitur etiam hîc de principiis ipſorum componentibus; hæc enim principia perpendentur alibi, agendo ſcilicet de bonitate & malitiâ horum actuum. Hîc igitur quæſtio tantùm eſt de principiis eorum productionis, ſcilicet de cauſis, finali, exemplari, & efficiente.

Nota porrò, principia productionis mox aſſignata, vocari externa, ex eo, quòd ſint extrà nos poſita; hinc alia ſunt, quæ dici poſſunt interna, quales ſunt facultates & habitus: quamobrem agemus 1°. de externis actuum humanorum principiis. 2°. De eorumdem principiis internis.

De principiis externis actuum humanorum.

Principia externa humanorum actuum innumera ſunt, ſed revocari ſolent ad cauſas, finalem, exemplarem, & efficien-

tem, modò tamen nomine causæ exemplaris, intelligamus aliquid extrà nos positum, quod inter agendum nos moraliter dirigat; exemplar enim internum, seu idea, numerandum est inter actuum humanorum principia interna.

De causâ finali actuum humanorum.

Causa finalis actuum humanorum, est bonum quoddam, sive verum, sive apparens, propter quod agit homo. Jam verò, id omne propter quod agimus, est vel bonum simpliciter, vel finis, vel beatitudo, de quibus singulis est dicendum.

De bono.

Bonum multiplex distingui solet. Primò. Namque, aliud est absolutum, aliud relativum. Absolutum dicitur illud, quod essentialiter est perfectum, seu quod habet omnes partes suas essentiales: quo sensu, quodlibet ens, est bonum. Relativum dicitur, quod vel est, vel saltem judicatur alterius perfectivum.

Secundò. Bonum sumitur, vel materialiter, vel formaliter. Materialiter, quando sumitur pro ipso ente, quod judicatur bonum. Formaliter autem, dum agitur de ipsâ bonitate.

Tertiò. Bonum, est vel physicum, vel

morale. Physicum, dicitur illud, quod alicui corpori convenit, qualia sunt sanitas & robur, respectu corporis humani. Morale verò, quod animam perficit in ordine ad mores, quales sunt virtutes, respectu hominis.

Quartò. Bonum, est aut verum, aut apparens. Verum, illud est, quod reipsâ perficit, ut virtus, respectu hominis; apparens autem, quod judicatur quidem conveniens, sed reipsâ non convenit ut furtum.

Quintò. Bonum est, vel per essentiam, vel per participationem. Bonum per essentiam, dicitur illud, cujus bonitas ab alio non pendet in esse suo. Per participationem autem, cujus bonitas ab alio ente fuit producta: sic solus Deus est bonus per essentiam, & entia creata sunt bona, per participationem.

Sextò denique. Bonum est, vel utile, vel jucundum, vel honestum. Bonum utile dicitur, quod eatenùs tantùm expetitur, quatenùs confert ad alterius boni consecutionem, ut pharmacum, respectu sanitatis. Bonum jucundum, vocatur illud, quod delectat, seu cujus occasione, grata sensatio excitatur in animâ, ut concentus musicus. Bonum honestum, est illud, quod secundùm regulas morum, appetere possu-

mus, qualis est virtus. Ubi notabis, idem objectum esse posse simul utile, jucundum & honestum: nam, verbi gratiâ, virtutis actus, est bonum utile, ad felicitatem obtinendam; est etiam bonum cuilibet viro probo jucundum; & tandem est bonum honestum, ut per se patet.

Nullum bonum in rei veritate, dici debet, aut utile, aut jucundum, nisi sit honestum, ut ipse Cicero probat, Officiorum libro tertio. Hinc generale sit hoc præceptum. Nullum objectum judicari debet, vel utile, vel jucundum, nisi sit honestum.

Existere bonum, tùm absolutum, tùm relativum, sive in ordine physico, sive in ordine morali, constare debet ex eo solo, quòd ens quodlibet sit in se perfectum, quodque multiplex ens sit alterius perfectivum in utroque illo ordine: nam, verbi gratiâ, sanitas nos perficit in ordine physico, & virtus nos perficit in ordine morali.

Ex supradictis boni distributionibus & definitionibus facilè intelligitur, quotuplex sit malum.

Quæri hîc potest, an dari possit substantia, quæ sit summum quoddam malum, & malorum omnium causa effectrix, ut opinabantur Manichæi?

Reſpondeo, talem ſubſtantiam eſſe impoſſibilem: tùm quia ſubſtantia eſt ens, adeòque in ſe perfecta; imò ſubſtantiæ ut ſubſtantiæ, nulla repugnat perfectio, ut conſtat ex dictis in Metaphyſicâ: tùm quia Manichæi ſupponebant malitiam indigere causâ efficiente: at oſtendetur poſteà, malitiam eſſe meram entis abſentiam, & conſequenter non requirere cauſam effectricem.

Cur ſit bonum.

Boni generatim ſumpti, nulla eſt cauſa propriè dicta; alioqui daretur cauſa boni increati: quod repugnat. Supereſt igitur, ut inquirantur cauſæ bonorum creatorum.

Cauſa finalis proxima boni creati, ferè totuplex eſt, quotuplex bonum creatum: at ſolus Deus, eſt cauſa finalis boni cujuſvis creati; quandoquidem in ejus gloriam cedunt omnia bona creata.

Variæ ideæ, ſunt cauſæ exemplares bonorum creatorum: quia cauſas activas in operationibus ſuis dirigunt.

Deus eſt cauſa efficiens prima boni cujuſlibet creati; quatenùs vel ſolus producit bona creata, vel immediatè concurrit cum cauſis creatis; ſubſtantiæ verò creatæ, agendi capaces, ſunt cauſæ efficientes ſecundæ bonorum quorumdam creatorum.

Quale ſit bonum.

Ariſtoteles & Peripatetici hanc afferunt boni proprietatem, nempè quod ſit ab omnibus appetibile : hoc autem intelligendum eſt, non eo ſenſu, quòd ens quodlibet bonum quodvis appetat ; ſed eo ſenſu, quòd nihil ſit alteri conveniens, quod non poſſit ab ipſo appeti, ſi ſit appetitus capax : duplicem autem diſtingunt appetitum, naturalem & elicitum : per appetitum naturalem, intelligunt entis eſſentiam, quatenùs expetit recipere quidquid eſt ſibi conveniens : hæc definitio non eſt accurata, quia non admittendus eſt appetitus in entibus, cognitione deſtitutis : accuratiùs igitur definiri debet deſiderium boni generalis, ad quod phyſicè generaliter impellimur. Appetitum elicitum definiunt actum complacentiæ, à voluntate productum, & ex præviâ cognitione naſcentem, clariùs definiri debet, actus electivus.

Quærunt hîc Peripatetici, an bonum ita ſit appetibile, ut odio haberi non poſſit, & ex oppoſito utrum malum ita ſit odibile, ut amari non poſſit.

Ne autem inducatur confuſio, de ſolo malo diſſeremus ; & proportione ſervatâ, idem ferendum erit judicium de bono.

Certum autem eſt, voluntatem creatam amare poſſe malum, ſub aliquâ boni ſpecie cognitum, ſicut intellectus aſcenſum præbere poteſt falſo, dum veri ſpeciem præ ſe fert. Difficultas igitur ſupereſt, utrùm voluntas creata poſſit amare malum cognitum, ut ſibi malum, ſeu quatenùs nullam habet ſpeciem boni, ſive utilis, ſive jucundi, ſive honeſti.

Concluſio.

Voluntas non poteſt amare malum cognitum, ut ſibi malum. Voluntas enim amare non poteſt, quod nullatenùs eſt amabile: atqui, &c. Amabilitas enim fluit à bonitate, ſive verâ, ſive apparente: at per hypotheſim malum, quatenùs malum, nullam habet bonitatem, ſive veram, ſive apparentem; ergo, &c.

Objectiones.

Objicies. 1°. Sanctus Auguſtinus fatetur, ſe aliquando furatum fuiſſe poma: quia malum erat furari; ergo tunc amavit malum quà malum.

Diſtinguo antecedens. Quia malum erat furari, hoc eſt, quia hoc erat illicitum & inhoneſtum, concedo. Id eſt, quia hoc erat ipſi injucundum, nego. Scilicet

tali furto, & ſuam induſtriam, & ſuam audaciam ſociis ſuis comprobare gaudebat; unde furtum patrabat, amore vanæ gloriæ, ratione cujus, eum pudebat non eſſe impudentem, ut ipſe loquitur.

Objicies. 2°. Voluntas amare poteſt id, quod intellectus judicat amabile: atqui intellectus judicat, malum ut malum, eſſe amabile: Nominales enim docent, malum quà malum eſſe amabile.

Nego minorem. Si enim intellectus judicaret malum, quatenùs malum eſſe amabile, jam deſineret eſſe malum quà malum, quia tunc amabilitatis & proindè bonitatis ſpeciem haberet. Ad id autem quod additur, reſpondeo, Nominales pugnantia loqui: perindè enim eſt, ac ſi dicerent, illud eſt amabile, quod non eſt amabile.

Objicies. 3°. Intellectus verſari poteſt circà falſum, quatenùs falſum; ergo à pari, &c.

Diſtinguo antecedens. Diſſentiendo, concedo. Aſſentiendo, nego. Diſtinguo pariter conſequens. Voluntas verſari poteſt circà malum, quà malum averſando, ſeu odio habendo, concedo. Proſequendo, ſeu amando, nego.

Inſtabis. Intellectus verſatur circà falſum, ut falſum intelligendo; ergo à pari

voluntas versari potest circà malum, ut malum volendo.

Nego consequentiam. Disparitas est: quia verum est, falsum esse falsum: at malum ut malum, sub nullâ specie boni exhibetur voluntati; unde strictè loquendo, non est objectum voluntatis, sed noluntatis.

Objicies 4°. Hostes malum quà malum nobis appetunt, pariter Cacodæmones nobis appetunt malum, quà malum; ergo, &c.

Distinguo consequens. Potest quis appetere malum quà malum alteri, concedo. Sibi, nego. Scilicet dum quis malum quà malum appetit alteri, illud amat, vel ut sibi jucundum, vel ut sibi utile; sed impossibile est, ut quis sibi malum ut malum appetat.

Instabis. Damnati appetunt non existere; ergo, &c.

Distinguo antecedens. *Prout non existere*, miseriarum finem importat, concedo. Præcisè ut non existere, nego. Itaque non existere, respectu damnatorum, importat miseriarum finem; & sub hoc respectu, habet rationem alicujus boni, non quidem positivi, sed, ut aiunt, negativi, quatenùs est immunitas à malo: quod sufficit, ut non sit malum quà malum.

Objicies 5°. Voluntas eſt libera circà malum ut malum; ergo, &c.

Diſtinguo antecedens. Libertate contradictionis, tranſeat. Libertate contrarietatis, nego. Eſto igitur quod voluntas libera ſit libertate contradictionis odii circà malum ut malum, id eſt, quod illud poſſit odiſſe, vel non odiſſe: at contendo voluntatem eſſe non poſſe liberam libertate contrarietatis circà malum ut malum, quaſi nempè habeat optionem, illud amandi, vel odio habendi. Dixi autem, *tranſeat:* quia non ipſa voluntas, ſed noluntas verſatur circà malum ut malum.

Objicies denique. Nonnulli peccant ex purâ malitiâ; ergo, &c.

Nego conſequentiam. Hoc enim in caſu nullatenùs ducuntur amore ſolius malitiæ, ſed alliciuntur ſpecie quâdam jucunditatis & complacentiæ.

De fine.

Finis ſtrictè loquendo, eſt id omne, ad quod aliud refertur: hoc ſenſu, ſanitas, eſt finis artis Medicæ: quia ars Medica refertur ad ſanitatem, aut reſtituendam, aut conſervandam; unde finis & media ſunt velut duo correlata.

Dari finem ſic ſumptum, conſtare debet

ex eo, quòd nunquam agamus liberè, nisi finem aliquem intendamus.

Finis generatim sumpti, nullæ sunt causæ, alioqui Deus haberet causas, quandoquidem est entium omnium finis ultimus.

Occasione qualitatum finis, tria solent hîc inquiri. Primum, an bonum utile ut utile, habere possit rationem finis? Secundum, quænam entia propter finem agant, & quomodo? Tertium, an homo finem simpliciter ultimum semper intendat in omnibus suis actionibus?

Ut solvantur hæ quæstiones, sint,

Conclusio prima.

Utile ut utile, non habet rationem finis; quod enim non expetitur propter se, non habet rationem finis: est enim de ratione finis, ut vel expetatur propter se, vel saltem sit expetibilis: atqui utile præcisè ut utile, nullatenùs expetitur propter se, sed propter illud, ad quod judicatur utile, ut per se patet; ergo utile ut utile, non habet rationem finis.

Objectiones.

Objicies. 1o. Pecunia, est bonum utile: atqui pecunia, est finis Avarorum; ergo, &c.

Distinguo minorem. Pecunia, est finis

Avarorum, prout ab ipsis consideratur, ratione suæ bonitatis, concedo. Prout ab ipsis consideratur ut utilis, ad comparanda vitæ necessaria, nego. Nimirùm Avari non spectant divitias, ut utiles, quandoquidem iis non utuntur; sed divitias spectant, ut bona honorabilia.

Objicies. 2°. Quod appetitur propter suam bonitatem, appetitur propter se: atqui bonum utile, ut utile, appetitur propter suam bonitatem; ergo, &c.

Distinguo majorem. Quod expetitur propter suam bonitatem, ad nos relativam, concedo. Propter suam bonitatem, relativam ad aliam bonitatem intentam, nego. Scilicet bonum utile, verbi gratiâ, pharmacum, expetitur quidem propter suam bonitatem, relativam ad bonitatem intentam sanitatis; sed non appetitur propter suam bonitatem, ad nos relativam; ut patet ex eo, quòd tale pharmacum nunquam appeteremus, nisi sanitas intenderetur, aut conservanda, aut restituenda.

At, inquies, hoc posito, non darentur fines intermedii.

Distinguo propositionem. Non darentur fines intermedii, hoc est, non essent fines, quatenùs sunt media, concedo. Quatenùs sunt id, ad quod referuntur

alia media, nego. Itaque fines intermedii duo dicunt, nempè quòd sint fines, & quòd sint media; sunt quidem fines, respectu eorum mediorum, quæ ad ipsos referuntur; sed sunt media, respectu finis ulterioris.

Ut solvatur secunda quæstio, nota, 1°. agentia duplicis generis vulgò distingui, rationalia & irrationalia.

Nota, 2°. unum ens duplici modo dici posse agens propter finem; formaliter, ut aiunt, & materialiter. Formaliter, si cognoscant finem ut finem, media ut media, & proportionem mediorum cum fine; materialiter autem, si hæc omnia non cognoscant. His notatis,

Docent Peripatetici, Deum, Angelos, & animas rationales, agere propter finem formaliter perfectè; belluas formaliter imperfectè, cæteraque entia materialiter tantùm.

Non placet hæc sententia. Nam 1°. Deus non agit propter finem in omnibus suis actionibus, ut mox ostendetur. 2°. Animæ rationales & Angeli non agunt perfectè. 3°. Certum non est, belluis inesse substantias à materiâ diversas; imò sunt inutiles ejusmodi substantiæ, ut constat ex dictis in Physicâ particulari. 4°. Quia entia ratione destituta, propriè loquendo,

non agunt, ſed aguntur; quamobrem ſint,

Concluſio ſecunda.

Deus non agit propter finem in actibus ſuis immanentibus. Nullum enim agens, finem intendere poteſt in iis actibus, qui non ſunt liberi, ut conſtare debet ex eo, quòd dum agens finem intendit, eligat media per ordinem ad finem intentum: at actus immanentes Dei, nullatenùs ſunt liberi, quia ſunt Deo eſſentiales; ergo, &c.

Concluſio tertia.

Deus agit propter finem in actibus ſuis; tranſeuntibus dictis, ſeu ad extrà. Deus enim agit propter finem in iis actibus, qui habent adjunctam mediorum electionem; nulla quippè ſunt media abſque fine: at actus Dei, tranſeuntes dicti, mediorum electionem habent adjunctam: nam, verbi gratiâ, diſpoſitio partium mundi, & generis humani redemptio, mediorum electionem habuerunt adjunctam; ſi quidem innumera fuerunt media, quibus Deus eadem præſtare poterat; ergo, &c.

Concluſio quarta.

Subſtantiæ ſpirituales, creatæ poſſunt

agere propter finem formaliter. Qui enim cognoſcere poſſunt, finem ut finem, media ut media, & proportionem mediorum cum fine, poſſunt agere propter finem formaliter: atqui ſpiritus creati ſic ſe habent; ſunt enim intelligendi capaces, & illa omnia objecta ſunt intelligibilia; ergo, &c. Quia verò ſpiritus creati imperfectè tantùm, ſeu inadæquatè cognoſcunt; idcircò dici debent agere propter finem formaliter imperfectè.

Concluſio quinta.

Corpora propriè non agunt propter finem, ſed aguntur in varios fines. Subſtantiæ enim merè paſſivæ, non agunt, ſed aguntur: atqui corpora, ſunt ſubſtantiæ meræ paſſivæ, ſicut probatum fuit in Phyſicâ generali; proindeque, &c.

Ut ſolvatur tertia quæſtio, nota, 1°. hominem agere poſſe propter finem duobus modis, explicitè ſcilicet & implicitè: tunc agit explicitè propter finem, quando actu cogitat de fine; implicitè verò, quando agit quidem propter finem, ſed de eo actu non cogitat: hoc autem poſterius tribus modis fieri poſſe vulgò creditur, ſcilicet virtualiter, habitualiter & interpretativè. Virtualiter, dum agit virtute præcedentis intentionis: ſic Chriſtianus

nus dicitur agere virtualiter propter gloriam Dei, quando matutinis horis, actus omnes suos ad Dei gloriam refert; habitualiter, dum homo agit ex inveteratâ consuetudine agendi propter finem; interpretativè, quando quis inter agendum sic est affectus, ut si verum ultimum finem cognosceret, actus suos ad ipsum libenter referret.

Nota, 2°. finem simpliciter ultimum, duobus modis cognosci posse, universaliter & singulariter: tunc quis finem ultimum universaliter & indeterminatè cognoscit, quando certus quidem est, dari finem simpliciter ultimum; sed non attendit ad bonum singulariter sumptum, quod reipsâ est finis ultimus. Tunc quis cognoscit finem ultimum singulariter & determinatè sumptum, quando attendit ad illud numero objectum, quod est reipsâ finis simpliciter ultimus. His notatis,

Certum est, 1°. hominem non semper agere propter finem ultimum, singulariter & determinatè sumptum. Multi namque finem hunc non cognoscunt; aut si ipsum cognoscant, de eo actu non cogitant.

Certum est, 2°. hominem non semper agere propter finem ultimum verum: quia multi errant in determinando illo fine ultimo.

Difficultas igitur supereſt, an omnes homines agant propter finem ultimum generatim, & indeterminatè ſumptum.

Concluſio ſexta.

Quilibet homo ſemper agit propter finem ultimum generatim & indeterminatè ſumptum. Qui enim in omnibus actionibus ſuis felicitatem univerſim quærunt, ſemper agunt propter finem ultimum, generatim & indeterminatè ſumptum; felicitas enim generatim ſumpta, & finis ultimus generatim ſumptus, ſunt quid idem: atqui homines in omnibus ſuis actionibus, felicitatem univerſim quærunt: nemo enim eſt, inquit Sanctus Auguſtinus, qui non velit eſſe beatus; & nemo poteſt ab hâc propenſione, quæ omnibus eſt naturalis, recedere; ſicut per ſenſum intimum conſtat; proindeque, &c.

Dices. Si homo ſemper ageret propter finem ultimum generatim ſumptum, nunquam peccaret, quandoquidem ſuos actus ad finem bonum referret: falſum conſequens; ergo, &c.

Nego ſequelam. Nam 1°. peccat, quando finem ultimum generatim ſumptum, determinat ad objectum ſingulare, quod

reipsâ non est finis ultimus. 2°. Peccat, quando suos actus ad finem ultimum generatim sumptum refert, vel contrà rectæ rationis dictamen, vel contrà leges positivas : uno verbo, quando suos actus illicito modo refert.

Circà varias finis species, duo hîc inquiruntur à Philosophis. Primum, quid sit agere propter gloriam Dei? Secundum, utrùm homo inter agendum, multos simul fines sibi proponere possit?

Ut solvatur prior quæstio,

Nota, duplicem distingui Dei gloriam; internam & externam. Interna describitur à Sanctis Patribus, clarissima cum laude notitia, quam habent tres Personæ Divinæ, circà suas perfectiones; externa verò describitur ab iisdem, clara cum laude notitia, quam habent spiritus creati de Deo, ejusque perfectionibus. Hoc notato,

Dico, spiritus creatos agere posse propter Dei gloriam : quia clara notitia Dei, perfectionumque Divinarum, est pars beatitudinis spirituum creatorum; sicut ostendetur posteà.

Ut solvatur posterior quæstio,

Nota, certum esse apud Christianos, unicum dari finem simpliciter ultimum, nempè Deum : quia solus Deus non re-

fertur ad aliud ens; quamobrem nemo potest multos simul fines ultimos veros sibi proponere. Certum pariter est, hominem multos fines ultimos apparentes, successivè sibi proponere posse: nam, verbi gratiâ, Pagani, modò divitias, modò voluptates, modò honores sibi proponebant, tanquam fines ultimos apparentes. Superest igitur difficultas, an homo multos fines ultimos apparentes, simul possit sibi proponere?

Respondeo, neminem multos simul fines ultimos apparentes, sibi proponere posse. Ejusmodi namque fines essent ultimi simul, & non essent ultimi; essent ex hypothesi, non essent autem. Nam finis ultimus, vel apparens, dicitur ille, ad quem omnia omninò judicantur esse referenda, ita ut ipse non referatur ulteriùs: at, hoc posito, fines qui dicerentur ultimi, non sic se haberent, nec enim ad se invicem referrentur; & consequenter ad quemque non omnia referrentur; proindeque, &c.

Dices. Pagani multos sibi proponebant Deos, tanquam fines ultimos, saltem apparentes; ergo, &c.

Nego antecedens. Illi namque Dii, quos admisit delusa Gentilitas, spectabantur solummodò tanquam fines partiales; sicut

constare debet ex eo, quòd singula singulis distribuerentur dominia.

De beatitudine.

Beatitudo describitur à Boëtio, status bonorum omnium aggregatione perfectus. Statum hunc appetunt omnes homines: verùm omnes ferè cæci sunt, circà modum, quo possit obtineri; imò non constat apud omnes, quodnam sit objectum illud, cujus possessio nos reddere potest beatos.

Duplex distinguenda est beatitudo, objectiva scilicet & formalis. Objectiva, est ens illud, quod nos reddere potest beatos; formalis verò, est modus, quo reddimur, aut reddi possumus beati.

Quatuor hîc inquiremus. Primum, an sit, seu existat beatitudo universim? Secundum, quodnam objectum nos beare possit, seu, ut alii loquuntur, in quo consistat objectiva hominis beatitudo? Tertium, in quo consistat beatitudo formalis? Quartum, qualis sit beatitudo?

An sit beatitudo?

Hæc quæstio tres alias implicitè continet. Prima est, utrùm in hâc vitâ detur beatitudo? Secunda, ex hypothesi, quòd in hâc vitâ nulla sit perfecta felicitas, quibusnam motivis imminui possit viri Chri-

ſtiani miſeria? Tertia, an lumine naturali ſuaderi poſſit, dari beatitudinem perfectam in alterâ vitâ?

Quod attinet ad primam, dico felicitatem perfectam, in hâc vitâ non exiſtere: tùm quia ad perfectam felicitatem requiritur ejuſdem ſtatûs permanentia: at in præſenti vitâ reperiri non poteſt ejuſdem ſtatûs permanentia. Cùm enim entia creata nos circumſtantia, viciſſitudinibus innumeris ſint obnoxia, non poſſunt eſſe cauſ occaſionales ſimilium impreſſionum: tùm quia corpus noſtrum variis morborum generibus identidem afficitur: tùm denique quia unuſquiſque per ſenſum intimum e conſcius, intellectum ſuum denſiſſim ignorantiæ tenebris eſſe involutum, voluntatemque ſuam à cupiditatibus tam p tenter ſollicitari, ut iis plerumque ſervi & obtemperet. Hinc 1°. vita præſens meritò dicta fuit *miſeriarum vallis, & Ev filiorum exilium.* Hinc 2°. lugenda eſt ſo veterum quorumdam Paganorum, (ſapien tes vocabant), quorum tanta fuit ſuperbia, ut ſuum vitæ genus ab omnibus miſeriis immune jactitarent.

Quod attinet ad ſecundam: dico, miſeriam veri Chriſtia[illegible] totum vitæ ſuæ curriculum, n[illegible] imm[illegible] ad [illegible] ntia fre[illegible]

n ſe-
c.
r vi-
nem

endi
emur
amus
mpe-
dami
erint
oncu-
entis
quen-
ebelli
con-

diver-
itudi-
ſquam
s enu-
nus &
reipsâ

ſſe bea-
autem
id non
eſt ob-

ob-

ſtiani miſeria ? Tertia, an lumine naturali ſuaderi poſſit, dari beatitudinem perfectam in alterâ vitâ ?

Quod attinet ad primam, dico felicitatem perfectam, in hâc vitâ non exiſtere: tùm quia ad perfectam felicitatem requiritur ejuſdem ſtatûs permanentia: at in præſenti vitâ reperiri non poteſt ejuſdem ſtatûs permanentia. Cùm enim entia creata nos circumſtantia, viciſſitudinibus innumeris ſint obnoxia, non poſſunt eſſe cauſæ occaſionales ſimilium impreſſionum: tùm quia corpus noſtrum variis morborum generibus identidem afficitur: tùm denique, quia unuſquiſque per ſenſum intimum eſt conſcius, intellectum ſuum denſiſſimis ignorantiæ tenebris eſſe involutum, voluntatemque ſuam à cupiditatibus tam potenter ſollicitari, ut iis plerumque ſerviat & obtemperet. Hinc 1°. vita præſens meritò dicta fuit *miſeriarum vallis, & Evæ filiorum exilium.* Hinc 2°. lugenda eſt ſors veterum quorumdam Paganorum, (ſapientes vocabant), quorum tanta fuit ſuperbia, ut ſuum vitæ genus ab omnibus miſeriis immune jactitarent.

Quod attinet ad ſecundam: dico, miſeriam veri Chriſtiani, per totum vitæ ſuæ curriculum, non parùm imminui, ſi ad ſequentia frequenter attendat. Pri-

mum, quosdam alios homines insigni probitate præditos, gravioribus subjacere calamitatibus. Secundum, prædestinatos ad gloriam, probandos esse hâc in vitâ, velut aurum in fornace. Tertium, miserias, quas patimur, præteritorum peccatorum esse pœnam, ipsasque patienter ferendo, per merita Salvatoris nostri, fieri satis justitiæ Divinæ. Quartum, Apostolos, quos imitari tenemur, gaudentes ivisse, ex eo, quòd digni habiti fuerint, contumeliam pati pro Christo. Quintum, ad exemplum Christi capitis nostri, oportere nos sic pati, & ita intrare in gloriam. Sextum denique, quidquid nobis accidit, sine nostrâ culpâ, sic ab immutabili Dei providentiâ fuisse præordinatum, ut mala cedant in bonum iis, qui Deum diligunt.

Quod attinet ad tertiam: observandum est, nonnullos contendere beatitudinem perfectam, non tantùm in hâc vitâ, sed & in alterâ prorsùs impossibilem esse; imò vitam alteram & beatitudinem perfectam, tanquam præjudicatas opiniones, à superstitione & politicâ invectas, rident.

Verùm præterquam quòd probavimus in Metaphysicâ, dari vitam alteram, in quâ virtus præmio donetur, & vitium puniatur, insana hominum illorum opinio

ſequentibus convelli poteſt rationibus.

Prima hæc eſt. Exiſtit ſubſtantia perfectiſſima, ſummè bona, ſummè potens, ut demonſtratum fuit in Metaphyſicâ. Jam verò, hæc ſubſtantia poteſt agere phyſicè in animas rationales, quandoquidem eas jugiter conſervat, & conſequenter omnes animæ facultates explere poteſt: quo in caſu, anima dicenda eſſet perfectè beata, ſi quidem objectum beans eſt immutabile; ſi igitur poſſibilis ſit ejuſmodi ſtatus, nonniſi temerè negatur ejus exiſtentia; ergo, &c.

Secunda. Unanimis eſt & conſtans nationum omnium conſenſus, dari vitam alteram, in quâ virtus præmio donetur, & vitium puniatur; ſicut legere eſt apud omnes Hiſtoricos: porrò, conſenſus hic unanimis, oriri non poteſt à ſuperſtitione & politicâ. Quæcumque enim oriuntur à ſuperſtitione & politicâ, valdè diverſa ſunt apud diverſos populos; ergo generalis hic conſenſus naſcitur ex impulſu cunctis hominibus, ab ipſo Authore naturæ impreſſo; ergo, &c.

Tertia. Nullo laudabili motivo nituntur Adverſarii, dum negant exiſtentiam beatitudinis in alterâ vitâ, ſicut conſtare debet ex eo, quòd non in calamitatibus, ſed in deliciis conſtituti, ſic opinentur;

unde dum ſic judicant, rectam non ſequuntur rationem; proindeque, &c.

Quæres autem, quænam ſit melior vivendi ratio, ut alterius vitæ beatitudinem conſequamur?

Reſpondeo, meliorem illam vivendi rationem eſſe, ſi frequenter meditemur veritates Chriſtianas, & eas exerceamus virtutes, quæ noſtro vitæ ſtatui competere poſſunt. Nimirùm cùm per Adami peccatum, duo generatim invecta fuerint mala, ſcilicet cæcitas mentis, & concupiſcentia rationi rebellis: cæcitati mentis medebimur, veritates chriſtianas frequenter meditando; & concupiſcentiæ rebelli reſiſtemus, ſi virtutes ſtatui noſtro convenientes exerceamus.

De beatitudine objectivâ.

Tam ſtupenda fuit opinionum diverſitas, circà objectivam hominis beatitudinem, ut Sanctus Auguſtinus pluſquam centum diverſas hâc de re ſententias enumeret. Generaliores tantùm referemus & refellemus: tùm oſtendetur in quo reipsâ conſiſtat.

Nonnulli voluerunt, divitias eſſe beatitudinem hominis objectivam. Sic autem refelli poteſt hæc opinio. Quidquid non eſt expetibile propter ſe, non eſt ob-

jectiva hominis beatitudo : atqui divitiæ non sunt expetibiles propter se, sed tantùm propter sustentandam vitam, sive propriam, sive alienam; proindeque, &c. Præterea, divitiæ molestiam & sollicitudinem pariunt, cum timore conservantur, & amittuntur cum dolore; imò divitiis irritatur potiùs, quàm satiatur appetitus hominis; hinc juxtà Scripturam Sacram, *Avarus non implebitur pecuniâ. Qui amat divitias, fructum non percipiet ex illis. Divites eguerunt & esurierunt.* Et certè, quæ sollicitudinem pariunt, cum timore conservantur, & amitti possunt, non sunt vera hominis beatitudo objectiva : at, &c. proindeque, &c.

Quidam reponunt objectivam hominis beatitudinem in voluptatibus corporeis, & hujus opinionis duces agnoscunt Sardanapalos, Heliogabalos, & impium Mahumetem. Sic autem refellitur hæc opinio. Beatitudo hominis objectiva consistere debet in aliquo bono permanente, quod præcipuas hominis facultates satiare possit : at voluptates, quæ mediante corpore percipiuntur, nec sunt permanentes, cùm vel igniculo febris evanescant, nec præcipuas hominis facultates, intellectum scilicet & voluntatem explere possunt; ut per se patet; proindeque, &c.

Sunt qui beatitudinem hominis objectivam, in honoribus reponunt. Sic autem refellitur hæc opinio. Quod nec est stabile, nec à solis viris probis possidetur, dici non potest objectiva hominis beatitudo : atqui honores sic se habent, ut experientia docet ; ergo, &c. Honorum instabilitatem sic exprimit Propheta Regius. *Vidi impium exaltatum suprà cedros Libani, transivi, & ecce non erat.*

Conclusio.

Solus Deus, est objectiva hominis beatitudo. Nam objectiva hominis beatitudo debet esse bonum quoddam permanens, quod sit finis simpliciter ultimus, quodque facultates hominis perfectè satiare possit : atqui solus Deus sic se habet. Primò quidem solus Deus, est bonum quoddam permanens & stabile ; cùm ipse solus, propriè loquendo, sit immutabilis. 2°. Solus Deus, est finis simpliciter ultimus hominis ; cùm enim ab ipso solo acceperimus omnia, ad ipsum referre tenemur quæcumque possidemus. 3°. Solus Deus perfectè satiare potest facultates hominis, intellectum scilicet & voluntatem. Qui enim solus habet summam veritatem, summamque bonitatem, perfectè satiare

potest facultates utriusque hujus objecti capaces : at solus Deus summam habet veritatem, summamque bonitatem, ut constat ex dictis in Metaphysicâ; proindeque, &c.

Et certè, ille solus, est objectiva hominis beatitudo, qui solus agere potest physicè in facultates humanas: atqui solus Deus sic se habet, quandoquidem ipse solus agere potest ad extrà. Hinc meritò sic loquitur Sanctus Augustinus: *irrequietum est cor nostrum, donec in Deo conquiescat.* Hinc etiam meritò sic loquitur Sanctus Bernardus: *anima rationalis ad imaginem Dei creata, cæteris rebus occupari potest: at nunquam satiari.*

Objectiones.

Objicies. 1°. Objectum beatitudinis humanæ debet ab homine possideri posse: atqui Deus non potest ab homine possideri. Possessio namque dominium importat in rem possessam: at evidens est, hominem habere non posse dominium in Deum; ergo, &c.

Distinguo majorem. Debet ab homine possideri posse, possessione, ut aiunt, vitali, objectivâ & physicâ, concedo. Possessione civili & juridicâ, nego. Possessio vitalis & objectiva, dicitur ea, quâ

objectum attingitur à facultate ipsius capace. Possessio civilis & juridica, est jus & dominium in rem possessam, ita ut possimus eam vendere, donare, legare, &c. qualis est possessio, verbi gratiâ, vel agri, vel equi, &c. Reverâ, &c.

Instabis. Inter objectum & facultatem, debet esse proportio : atqui Deum inter & facultates humanas, nulla est proportio, cùm Deus sit infinitus, & facultates humanæ sint finitæ ; ergo, &c.

Distinguo majorem. Debet esse proportio habitudinis, concedo. Entitatis, nego. Proportio habitudinis, est relatio, seu ordo, tùm potentiæ ad objectum, tùm objecti ad potentiam, qualis est intellectum inter & objectum, ut verum. Proportio entitatis, est similitudo inter naturas entium, qualis est inter homines. Reverâ, &c. Ad id autem quod subjungitur, respondeo facultates humanas, esse quidem finitas intrinsecè, seu ratione perfectionum ; sed ipsas esse infinitas extrinsecè, eo nempè sensu, quòd versari possint circà objecta infinita, extrà se posita.

Instabis 2°. Proportio habitudinis fundatur in proportione entitatis : at ex concessis, non est proportio entitatis, Deum inter & facultates humanas ; ergo nec est proportio habitudinis.

Diſtinguo majorem. Fundatur in proportione entitatis aliquâ, nempè ratione graduum genericorum, concedo. Omnimodâ, ſeu ratione graduum ſpecificorum, nego. Reverâ, &c.

Inſtabis. 3°. Ubi non eſt proportio entitatis omnimoda, ibi non eſt proportio habitudinis.

Nego propoſitionem. Si enim ad proportionem habitudinis requireretur omnimoda proportio entitatis, Deus nullatenùs cognoſcere poſſet entia creata: quod eſt abſurdum. Nota tamen, nullam quidem eſſe proportionem habitudinis intellectum humanum inter & Deum comprehendendum: quia facultas intelligendi in homine, neceſſariò limitata eſt; ſed eſſe proportionem habitudinis, intellectum humanum inter & Deum apprehendendum, ſeu ex parte cognoſcendum.

Inſtabis denique. Objectum infinitum attingi non poteſt à facultate finitâ; ergo, &c.

Diſtinguo antecedens. Modo infinito, ſeu comprehenſivo, concedo. Modo finito, ſeu apprehenſivo, nego. Reverâ, Deus eſt incomprehenſibilis, reſpectu intellectûs creati; & hoc ſenſu dicitur *habitare lucem inacceſſibilem*; ſed Deus eſt apprehenſibilis, reſpectu intellectûs creati:

quia quodlibet ejus attributum est intelligibile; & hoc sensu dicitur, *in Sole posuit tabernaculum suum.*

Objicies. 2°. Objecta creata satiare possunt facultates finitas; ergo possunt esse earum objectiva beatitudo.

Nego antecedens. Nullum enim ens creatum agere potest ad extrà; nec proindè potest ullam hominis facultatem explere.

De beatitudine formali.

Beatitudo formalis, est actio, quâ beatitudo objectiva, seu Deus possidetur. Difficultas autem est inter Philosophos, circà hanc actionem. Thomistæ docent, spiritum creatum constitui beatum, per cognitionem Dei; Scotistæ, per ipsius amorem; cæteri denique, per gaudium de Deo cognito & amato. Ut solvatur hæc quæstio, sit,

Conclusio.

Beatitudo formalis essentialiter posita est in cognitione, simul & amore Dei. Nam beatitudo formalis, juxtà Philosophos, est actio, quâ Deus possidetur: atqui cognitio & amor, sunt actiones, quibus Deus possidetur: nimirùm per cognitionem, intellectus creatus adhæret

summmæ veritati ; & per amorem voluntas fruitur summâ bonitate.

Objectiones.

Objicies. 1°. Beatitudo formalis non consistit in eâ actione, quæ non est possessiva summi boni : atqui cognitio non est actio possessiva summi boni ; ergo, &c.

Distinguo majorem. Quæ non est actio possessiva summi boni, nec ut amati, nec ut cogniti, concedo. Amati tantùm, nego. Reverâ, cognitio, non est actio possessiva summi boni, ut amati : quia cognitio non est amor, sed est actio possessiva summi boni, ut cogniti. Pariter, amor non est actio possessiva summi veri, ut cogniti, sed est actio possessiva summi veri, ut amati.

At, inquies, beatitudo formalis consistit in fruitione : atqui cognitio Dei non est fruitio ; ergo, &c.

Nego minorem. Quælibet enim facultas dici debet objecto suo frui, quando circà ipsum actu versatur ; fruitio namque potentiæ, est objecti præsentia eidem potentiæ.

Dices iterùm. Beatitudo formalis consistit in eâ solâ actione, quæ pertinet ad

facultatem meriti & demeriti capacem : atqui ſolus amor ſic ſe habet, quandoquidem, ex nobis, ſola voluntas eſt libera.

Nego majorem. Tùm quia falſum ſupponit. Supponit enim facultatem aliquam mereri, aut demereri poſſe : at hoc falſum eſt. Facultas enim, eſt tantummodò id, quo mediante, perſona meretur, vel demeretur. Tùm quia, quamvis intellectus non ſit facultas per ſe libera ; quia tamen ſubjacet imperio voluntatis ; idcircò ſi aberret, perſona culpanda eſt ; ſi autem non aberret, perſona laude digna eſt.

Objicies. 2°. Beatitudo formalis non conſiſtit in eâ actione, per quam ſummum bonum non redditur animæ præſens : atqui ſummum bonum non redditur animæ præſens, per amorem, ſed tantùm per cognitionem ; ergo, &c.

Diſtinguo majorem. Non redditur animæ præſens, aut affectu, aut intentione, concedo. Intentionaliter tantùm, nego. Illud dicitur affectivè præſens, cui perſona per affectum, ſeu amorem adjungitur ; illud verò dicitur intentionaliter præſens, ad quod perſona reipsâ attendit. Reverâ, &c.

Objicies. 3°. Beatitudo formalis debet eſſe quies & perfecta tranquillitas : atqui

cognitio & amor, dici non possunt quies & tranquillitas; ergo, &c.

Distinguo majorem. Debet esse quies & tranquillitas, eo sensu, quòd excludere debeat nisum & tendentiam versùs ulteriorem terminum, concedo. Eo sensu, quòd debeat esse inertia, seu absentia cujusvis actionis, nego. Alioqui materia perfectè quiescens, dicenda foret formaliter beata: quod est absurdum. Hinc meritò damnata fuit ab Ecclesiâ quorumdam opinio, qui contendebant vitam hanc, esse transigendam in perfectâ quiete, seu in cessatione, ab actu quovis voluntatis; undè dicti sunt, *Quietistæ*.

Objicies denique. Beatitudo formalis dici potiùs debet consistere in gaudio, de Deo cognito & amato, quàm in cognitione & amore Dei.

Nego propositionem. Tale namque gaudium respicit potiùs ipsam substantiam spiritualem creatam, quàm ipsum beatitudinis objectum; hoc est, dici potiùs debet complacentia in beatitudine formali, quàm ipsa beatitudo formalis; unde supponit beatitudinem formalem, jam constitutam. Ubi notabis, cognitionem Dei, qualis esse potest in homine, duplicem à Theologis distingui, abstractivam & intuitivam. Cognitio abstractiva, di-

citur ea, quæ mediata eſt, id eſt, quæ vel per diſcurſum comparatur, vel mediantibus rebus ſenſilibus excitatur; vocatur ab Apoſtolo, *viſio per ſpeculum & in enigmate.* Cognitio intuitiva, dicitur ea, quæ immediata eſt, ſeu quæ abſque diſcurſu & abſque causâ occaſionali, exiſtit in animâ: dicitur aliter, *viſio Dei, facie ad faciem.* Hæc intuitiva Dei cognitio, non poteſt accuratè definiri ab homine viatore: quia per experientiam tantùm cognoſci poteſt.

De proprietatibus beatitudinis.

Ex proprietatibus beatitudinis, aliæ ſunt hujus vitæ beatitudinis propriæ; aliæ beatitudini ſupernaturali peculiares, aliæ denique, utrique huic beatitudini communes.

Proprietates utrique beatitudini communes & præcipuæ, ſunt animi tranquillitas & conſcientiæ quies, prout oriuntur ex complacentiâ, de Deo cognito & amato.

Peculiaris proprietas beatitudinis hujus vitæ, eſt fames quædam, aut ſitis beatitudinis ſupernaturalis, ob quam impreſſionem, anima verè Chriſtiana Deum ardenter exorat, his verbis: *Adveniat regnum tuum*, & ob quam, cum Apoſtolo,

cupit dissolvi & esse cum Christo. Enim verò, cùm beatitudo hujus vitæ multas habeat infirmitates comites, & præsertim peccandi timorem; ideò quisquis Deum verè diligit affectu singulari, cum Prophetâ Regio sic exclamat: *Quemadmodùm desiderat cervus ad fontes aquarum*, &c.

Proprietates beatitudinis supernaturalis hæ præsertim numerari solent, æqualitas, æternitas, impeccabilitas, necessitas amandi Deum, exclusio cujusvis tristitiæ, & & coporis dores, post resurrectionem.

Quæres igitur, 1°. an beatitudo supernaturalis æqualis sit, an inæqualis, respectu Beatorum?

Respondeo, 1°. beatitudinem objectivam æqualem esse, respectu Beatorum, eo sensu, quòd idem Deus sit eorum objectiva beatitudo. Quod si habeatur ratio Divinorum attributorum; quoniam verisimile est, plura à quibusdam Beatis, quàm ab aliis cognosci; ideò hoc sensu, quædam est inæqualitas beatitudinis, etiam ex parte objecti.

Respondeo, 2°. beatitudinem formalem, inæqualem esse, respectu Beatorum, hoc est, cognitionem & amorem Dei, in quibusdam Beatis, intentiores esse, quàm in aliis. Responsio desumitur ex variis Scripturæ Sacræ testimoniis. *Qui parcè*

seminat, parcè & metet. In domo Patris mei multæ sunt mansiones. Sicut stella differt à stellâ in claritate, ita erit in resurrectione mortuorum. Idem etiam evincitur lumine naturali, hoc modo. Conveniens est, ut merces proportionata sit laboribus, & laborum adjumentis: porrò, non omnes electi laborant æqualiter in hâc vitâ, nec gratias accipiunt in eâdem mensurâ.

Dices contrà hanc responsionem. In parabolâ Patris familias, quæ legitur apud Evangelistam Matthæum, cap. 26. Operarii singuli singulum accipiunt denarium, licet inæqualis fuerit eorum labor; ergo, &c.

Respondeo, 1°. denarium illum significare objectum beatitudinis, quod idem est pro omnibus Beatis, sicut interpretati sunt multi Patres.

Respondeo, 2°. parabolam illam nihil aliud imminere, quàm quod merita non sint æstimanda, ex diuturnitate vitæ; sed potiùs ex pio voluntatis affectu, & præsertim ex gratiâ supernaturali, à Deo concessâ.

Quamvis autem possessio beatifica, sit inæqualis in electis, non propterea alter alteri invidebit: quia quilibet evidenter cognoscet, se à Deo fuisse præordinatum, ad eum beatitudinis gradum, quem obti-

net; unde ſorte ſuâ perfectè contentus erit.

Quæres, 2°. an beatitudo ſupernaturalis, futura ſit æterna?

Reſpondeo, ipſam futuram eſſe æternam. Tùm quia à Deo fuit ſic promiſſa. Tùm quia, ſi quando ceſſaret, id contingeret, vel ex parte voluntatis Divinæ, vel ex parte voluntatis creatæ, vel, ut quidam ſomniarunt, ex defatigatione potentiarum creatarum. Non ex parte voluntatis Divinæ: quia Decreta ſemel poſita, & per revelationem nobis nota, mutari non poſſunt. Non ex parte voluntatis creatæ: quia mox oſtendemus, Beatos neceſſitari ad amandum Deum. Non denique, ex potentiarum defatigatione, vel tædio: tùm quia ſubſtantia ſpiritualis defatigationis eſt incapax: tùm quia ſummè jucundum, non poteſt tædium parere. Ubi notabis, perpetuitatem beatitudinis electis innoteſcere debere. Niſi enim iis innoteſceret, non eſſent verè Beati; ſemper enim metuerent, ne privarentur ſummo bono, quo fruuntur.

Quæres, 3°. an Beati ſint impeccabiles?

Reſpondeo, 1°. Beatos non eſſe impeccabiles, eo ſenſu, quòd amittant peccandi potentiam: potentiæ quippè ſunt

essentiales, nec proindè possunt amitti.

Respondeo, 2°. Beatos esse impeccabiles, & eo sensu, quòd nunquam sint peccaturi, & eo sensu, quòd eorum peccandi potentiæ ligentur & impediantur, ne prorumpant in actus peccaminosos. Nimirùm quisquis peccat, falsum fert judicium, aut circà finem, aut circà media: at Beati neutro modo falsum ferunt judicium. Non circà finem, seu Deum: quia ipsum intuitivè cognoscunt. Non etiam circà media: quia eorum respectu, nulla sunt ampliùs media; adepto namque fine, cessant media.

Quæres, 4°. an Beati sint liberi circà amorem Dei?

Respondeo, Beatos circà amorem Dei, liberos esse, libertate à coactione: tunc enim actio dicitur libera, libertate à coactione, quando fit secundùm propensionem voluntatis: at amor Dei in Beatis, est secundùm ipsorum voluntatis propensionem; imò nullus actus amoris potest esse coactus, sicut ostendetur posteà.

Respondeo, 2°. Beatos non esse liberos libertate, à necessitate, circà Deum amandum, hoc est, Beatos necessitari, ad amorem Dei. Actio namque voluntatis, quæ producitur absque electione, dicitur necessaria: atqui amor Dei in Beatis, est

actus, qui producitur absque electione: tùm quia electio locum tantum habet, dum agitur de mediis in ordine ad finem ultimum: non autem dum agitur de fine ultimo possesso, sicut ostendetur, ubi de libertate. Tùm quia, quilibet actus electivus in spiritu creato, vel meritorius est, vel demeritorius: at amor Dei in Beatis, non est meritorius; alioqui beatiores & beatiores evaderent. Tùm denique, quia tunc tantùm intelligitur electio in spiritu creato, quando quædam adest indifferentia ad agendum, aut non agendum: at in Beatis nulla potest esse indifferentia circà Deum amandum, aut non amandum; cùm in iis sit intuitiva summi boni visio.

Quæres, 5°. an beatitudo supernaturalis quamlibet veram excludat tristitiam?

Respondeo, 1°. beatitudinem supernaturalem, quamlibet excludere veram tristitiam. Tùm quia sic legitur in Apocalypsi, *absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum, & mors ultrà non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor.* Tùm quia gaudium Beatorum plenum est, adeòque nullum relinquit veræ tristitiæ locum juxtà illud, *inebriabuntur ab ubertate domûs tuæ, & de torrente voluptatum potabis eos.* Tùm denique, quia vera tristitia concipitur

cipitur insociabilis cum summâ felicitate.

Dices tamen. Christus Dominus, ut homo, beatus erat ante mortem, & tamen verè tristis fuit, juxtà hæc ipsius verba: *tristis est anima mea, usque ad mortem*; ergo, &c.

Respondeo, 1°. non omnes Theologos concedere, Christum Dominùm, ut hominem, fuisse beatum ante mortem, nituntur que hoc Scripturæ testimonio, *Christum sic opportuit pati, & ita intrare in gloriam.*

Respondeo, 2°. Christum Dominum, ut hominem, tristem quidem fuisse, non de statûs sui miseriâ, sed de generis humani peccatis; hinc quamvis Beati dolerent de parentum & amicorum peccatis, dolor hic nullatenùs officeret ipsorum beatitudini; quia nempè Beati perfectè subordinantur voluntati Divinæ. An autem reipsâ doleant de parentum & amicorum peccatis, & de bonis eorum operibus delectentur, definire non possumus.

Quæres denique, quænam futuræ sint præcipuæ dotes corporum humanorum, post generalem resurrectionem, saltem si sermo sit de Beatorum corporibus?

Respondeo, lumine naturali hoc definiri non posse. Quatuor autem dotes præcipuæ vulgò tribuuntur corporibus Bea-

torum post resurrectionem, scilicet impassibilitas, claritas, agilitas & subtilitas. Hæc vulgaris opinio deducta creditur, ex Apostoli primâ ad Corinthios, in quâ sic legitur, *seminatur corpus in corruptione, surget in incorruptione*, (en, inquiunt, impassibilitas); *seminatur in ignobilitate, surget in gloriâ*, (en claritas); *seminatur in infirmitate, surget in virtute*, (en agilitas); *seminatur corpus animale, surget spirituale*, (en subtilitas): hæc interpretatio non sufficienti nititur authoritate. Ubi porrò corpus dicitur ab Apostolo, *spirituale*, hoc non est sic intelligendum, quasi convertatur in spiritum; id enim est impossibile, sed eo sensu, quòd in eo nulli futuri sint motus, animæ rationali rebelles.

De internis actuum humanorum principiis.

Interna actuum humanorum principia, dicuntur ea, quæ sunt intrà nos posita: ejusmodi principia duplicis generis vulgò distinguntur, congenita & acquisita. Congenita, vocantur ea, quæ nobiscum nascuntur, quales sunt facultates; acquisita verò, quæ successu temporis comparantur, quales sunt habitus. Hæc distributio non

est accurata; quidam enim habitus possunt esse congeniti, sicut dictum fuit, ubi de Philosophiâ habituali Adami. Missâ igitur hâc distributione, agemus 1°. de facultatibus, in ordine ad mores. 2°. De habitibus, pariter relativè ad mores. 3°. De passionibus, prout se tenent, tùm ex parte animæ, tùm ex parte corporis.

De facultatibus.

Tunc facultates considerantur in ordine ad mores, quando producunt actus, vel bonos, vel malos moraliter; revocantur à Philosophis, ut jam dictum fuit, ad quatuor generales, intellectum, voluntatem, imaginationem & appetitum sensitivum. Per intellectum, cognoscuntur bona & mala insensilia: per voluntatem, appetimus bona insensilia, & aversamur mala insensilia. Per imaginationem, cognoscuntur bona & mala sensilia. Denique, per appetitum sensitivum, expetuntur bona sensilia, & odio habentur mala sensilia.

De imaginatione & appetitu sensitivo dicetur, ubi de passionibus. Hîc igitur agemus solummodò de intellectu & voluntate, prout ad mores pertinent. Sit itaque,

De intellectu.

Intellectus, eſt facultas cognoſcendi ea omnia, quibus mediantibus, vita humana regitur, moreſque diriguntur ad honeſtatem. Ad facultatem hanc pertinent, ſyndereſis, prudentia & conſcientia.

Syndereſis accipitur, modò pro habitu, modò pro actu. Si ſumatur pro habitu, eſt facilitas cognoſcendi prima principia moralia, hoc, verbi gratiâ, *alteri ne feceris, quod tibi fieri non vis.* Si verò ſumatur pro actu, eſt primorum illorum principiorum cognitio.

Prudentia ſumitur pariter, vel pro habitu, vel pro actu. Si ſumatur pro habitu, eſt facilitas eruendi concluſiones, ex primis principiis moralibus; ſi verò, pro actu, eſt illatio concluſionum, ex primis principiis moralibus.

Conſcientia, eſt ſenſus quidam intimus, conſequens notitiam agendorum, aut fugiendorum: modò dicitur quies interna, modò vermis internus, prout nempè, vel ſecundùm, vel contrà ſenſum illum intimum agimus. Conſcientia vulgò diſtribuitur in veram, falſam & dubiam. Vera dicitur, quando ſenſus ille intimus ſubſequitur veram agendorum, aut fugiendorum notitiam. Dicitur falſa, ſeu erro-

nea, quando ſenſus intimus ſequitur quidem cognitionem agendorum, aut fugiendorum; ſed ita ut hæc cognitio reipsà ſit falſa, quamvis judicetur vera. Denique dicitur dubia, quando ſenſus ille intimus ſequitur concluſionem ſolummodò probabilem agendorum, aut fugiendorum. Ubi notabis, in moralibus non licere, ſecundùm opinionem minùs probabilem, & minùs tutam ſe gerere, relictâ probabiliori & tutiori: quia ſcilicet in dubiis, maximi præſertim momenti, tutior pars ſemper eſt eligenda.

His præſuppoſitis, ſequentes hîc proponi ſolent quæſtiones. Prima, an prærequirantur actus intellectûs, ut voluntas ad agendum ſe determinet? Secunda, quænam intellectûs actio ſufficiat ad voluntatem movendam? Tertia, quid per intellectum exhiberi debeat, ut voluntas ſeſe liberè determinet?

Quod attinet ad primam quæſtionem, reſpondeo, cognitionem prærequiri, ut voluntas moveatur, ſive ad ſpeciem, ſive ad exercitium actûs: quia nulla poteſt eſſe voluntatis actio, circà objecta penitùs ignota: hæc autem motio phyſica non eſt, ſed moralis tantùm.

Quod attinet ad ſecundam quæſtionem, notandum eſt, actionem intellectûs, hoc

in casu, duplicis generis esse distinguendam, apprehensionem nimirùm, & judicium. His notatis,

Respondeo, 1°. solam apprehensionem sufficere, ad voluntatem movendam. Ut enim voluntas moveatur, satis est, quòd anima cognoscat objectum, vel amoris, vel odii: at per apprehensionem, anima cognoscit ejusmodi objectum; proindèque, &c.

Respondeo, 2°. judicium quodlibet sufficere, ad voluntatem movendam: quia ut voluntas agat, satis est, quòd anima cognoscat bonum, aut malum, honestum, aut turpe.

Quod attinet ad tertiam quæstionem: dico, 1°. objectum aliquod apprehendi, & judicari posse, sub uno respectu, bonum, & sub altero, malum. 2°. Objectum apprehendi & judicari posse, solummodò ut bonum, sed finitùm. 3°. Objectum cognosci posse, ut bonum infinitum; ita ut per discursum tantum sic cognoscatur. 4°. Objectum bonum & infinitum, clarè & intuitivè cognosci posse, ut tale. 5°. Denique, objectum cognosci posse tanquam summum malum, respectu nostri. His notatis,

Respondeo, 1°. si objectum apprehendatur, aut judicetur, sub uno respectu bo-

num, & ſub altero malum; voluntatem circà ipſum tunc eſſe liberam, tùm libertate contrarietatis, tùm libertate contradictionis: tùm quia poteſt ipſum amare, quatenùs bonum, & odiſſe, quatenùs malum; aliundè verò, cùm poſſit illud amare, poteſt ipſum non amare, & viciſſim.

Reſpondeo, 2°. ſi objectum apprehendatur, aut judicetur ſolummodò, ut bonum finitum; voluntatem eſſe liberam, libertate contradictionis, circà ipſum amandum, aut non amandum: quia ipſo neglecto, circà aliud poteſt occupari; ipſam autem non eſſe liberam, libertate contrarietatis: quia non poteſt odiſſe bonum, ut bonum.

Reſpondeo, 3°. ſi objectum apprehendatur, aut judicetur infinitè bonum, ſed mediante tantùm diſcurſu, ſic cognitum; voluntatem tunc eſſe liberam, libertate contradictionis, circà ipſum amandum, aut non amandum: quia quoties objectum aliquod per ſe, ſeu immediatè non ſatiat amandi facultatem, ipſam non neceſſariò rapit, ad amorem ſui.

Reſpondeo, 4°. ſi objectum intuitivè cognoſcatur, ut ſummum bonum; tunc voluntatem nullatenùs eſſe liberam, libertate à neceſſitate, circà ipſum amandum: probatum enim fuit, Beatos neceſſitari ad

amorem Dei, ex eo quòd ipſum intuitivè cognoſcant.

Reſpondeo denique, ſi objectum cognoſcatur, tanquam ſummum malum, reſpectu noſtri, ita ut per diſcurſum tantùm cognoſcatur ut tale; voluntatem tunc non neceſſitari, ad ipſum odio habendum. Quod ſi objectum illud intuitivè cognoſcatur, ut ſummum malum, qualis Deus judicatur à damnatis; tunc voluntas neceſſitatur, ad ipſum odio habendum.

De voluntate.

Voluntatis officium, circà mores in eo conſiſtit, quòd non tantùm ſeipſam, ſed & cæteras agendi facultates, aut applicet ad agendum, aut ab agendo detorqueat; unde quæritur hîc, quomodò & quoſnam actus voluntas, tùm ſibi, tùm cæteris potentiis imperare poſſit? Ut ſolvatur hæc quæſtio,

Nota, voluntatis imperium, duplex diſtingui poſſe, directum & indirectum. Directum, dicitur illud, quod immediatum eſt, ſeu quod reſpicit proprios voluntatis actus; indirectum autem, quod mediatum eſt, ſeu quod reſpicit actus aliarum facultatum. Prætereà, voluntatis imperium indirectum diſtribui poteſt, in politicum & deſpoticum. Politicum, dicitur

illud, cui quandoque resistitur, & consequenter in cujus exercitio, opus est industriâ; despoticum autem, è contrà. Hoc notato,

Dico, 1°. voluntatem actus quosdam sibimet imperare posse. Facultas enim, quæ seipsam determinare potest ad agendum, actus quosdam sibi potest imperare: atqui voluntas ad actus quosdam seipsam determinare potest. Probabitur enim posteà, ipsam esse liberam circà nonnullos actus.

Dico, 2°. voluntatem non posse quoslibet actus sibi imperare. Voluntas enim non potest, eos actus sibi imperare, circà quos non est libera: atqui voluntas libera non est, circà nonnullos suos actus, verbi gratiâ, circà amorem suæ felicitatis universim; ut constat ex dictis in Metaphysicâ, de præmotione physicâ generali.

Dico, 3°. voluntatem imperare posse intellectui, quantùm ad actus quosdam: tùm quia tenemur captivare intellectum in obsequium fidei: tùm quia nullus actus dici potest meritorius, nisi pendeat à voluntatis imperio: at actus quidam intellectûs, sunt meritorii, quales sunt actus fidei: tùm denique, quia constat experientiâ, unumquemque hominem pro beneplacito suo, intellectum suum certis speculationibus, vel applicare, vel ab his

avertere posse; adeòque tales actus pendent à voluntatis imperio.

Dico, 4°. quosdam actus intellectûs independentes esse à voluntatis imperio. Nam 1°. actus, qui voluntatis imperium antecedere debent, non pendent ab hoc imperio: at actus quidam intellectûs antecedere debent voluntatis imperium; nec enim voluntas ferri potest in objectum ignotum. 2°. Judicia evidenter vera, pendere non possunt à voluntatis imperio: quia assensus propositionibus evidentibus necessarius est.

Quæres autem, 1°. quinam actus intellectûs pendeant, & quinam non pendeant à voluntatis imperio?

Respondeo, 1°. primas objectorum apprehensiones, nullatenùs pendere à voluntatis imperio: quia debent antecedere quemlibet ipsius actum, circà ejusmodi objecta.

Respondeo, 2°. apprehensiones objectorum iteratas, pendere posse à voluntatis imperio: quia voluntas efficere potest, ut intellectus iterùm attendat ad objecta, quæ fuerunt olim ab ipso cognita.

Respondeo, 3°. judicia inevidentia, pendere ab imperio voluntatis. Cùm enim intellectus in his judiciis, neque ad assensum, neque ad dissensum necessitetur;

cumque non ſit facultas ſui ipſius determinativa, determinari debet à voluntate, quantùm ad ſpeciem, alioqui nunquam judicaret.

Quæres, 2°. quale ſit imperium voluntatis in intellectum?

Reſpondeo, imperium illud eſſe politicum: experientiâ namque conſtat, intellectum voluntati quandoque reſiſtere, & opus eſſe induſtriâ, ut à cogitationibus quibuſdam avertatur.

Quæres, 3°. an voluntas imperare poſſit imaginationi, & appetitui ſenſitivo?

Reſpondeo affirmativè, ſaltem quantùm ad nonnullos actus. Nemo quippè tenetur ad impoſſibile: porrò, tenemur imaginationem à cogitationibus obſcœnis avertere; tenemurque cohibere & moderari motus appetitûs ſenſitivi, juxtà illud Scripturæ Sacræ: *Sub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius*; ergo ſignum eſt, quoſdam imaginationis & appetitûs ſenſitivi actus, voluntatis imperio ſubjacere. Dixi autem, quantùm ad nonnullos actus: nam, verbi gratiâ, primæ apprehenſiones objectorum ſenſilium, & primi motus appetitûs ſenſitivi, nullatenùs ſubjacere poſſunt voluntatis imperio, quandoquidem ipſum antecedunt; unde nec meritorii, nec demeritorii ſunt cenſendi.

Quæres denique, quale ſit voluntatis imperium, in imaginationem & appetitum ſenſitivum?

Reſpondeo, imperium illud eſſe ſolummodò politicum. Nam experientiâ conſtat, 1°. imaginationem circà objecta quædam ſenſilia, reluctante voluntate, verſari; unde opus eſt induſtriâ, ut aliò convertatur. 2°. Appetitum ſenſitivum voluntatis imperio nonnunquam etiam reluctari, juxtà illud Apoſtoli: *Sentio legem in membris meis reluctantem legi mentis meæ.*

Ut voluntas imaginationem & appetitum ſenſitivum faciliùs regere poſſit, ſedulò cavendum eſt, ne in facultatibus illis, pravi habitus altas agant radices. Poſitis enim ejuſmodi habitibus, vix obtemperant voluntatis imperio.

Ex dictis conſtat, eos ſolos actus, qui vel ab ipsâ voluntate producuntur, vel ab aliis quidem facultatibus, ſed quatenùs voluntatis imperio ſubjacere poſſunt, eſſe vel meriti, vel demeriti capaces; unde hi ſoli dirigibiles ſunt ad honeſtatem.

Multæ hîc agitari ſolent quæſtiones, tùm circà libertatem univerſim, tùm circà libertatem hominis viatoris ſpeciatim. Sit itaque,

De libertate universim.

Libertas universim duplex est, à coactione & à necessitate. Libertas à coactione, est immunitas ab externo impulsu physico, qui fit contrà voluntatis propensionem; libertas à necessitate, est immunitas ab externo impulsu physico, qui fit quidem secundùm voluntatis inclinationem, sed qui tollat ejus electionem. Prior libertatis species dicitur, *voluntarium;* posterior verò, *liberum.*

De voluntario.

Omne liberum, est voluntarium, sed non vice versâ: nam, verbi gratiâ, amor beatificus, est maximè voluntarius; nec tamen liber est libertate à necessitate. Hinc voluntarium, est velut genus, respectu necessarii & liberi.

Voluntarium describi solet, quod fit à principio intrinseco, cognoscente singula in quibus est actio, hoc est, cognoscente objectum, finem & circumstantias. 1°. Dicitur à principio intrinseco, ut distinguatur à violento, seu coacto, quod oritur à principio extrinseco. 2°. Additur, cognoscente, non quod voluntarium pertineat ad intellectum, sed quia prærequirit cognitionem eorum, quæ fiunt. Cla-

rius & accuratiùs describi potest. Quod producitur ab aliquâ personâ, secundùm voluntatis suæ propensionem.

Voluntarium distribui solet, 1°. in positivum & negativum. Voluntarium positivum, dicitur illud, quod producitur cum cognitione, & juxtà voluntatis propensionem; negativum autem, quod fit quidem absque cognitione & absque voluntatis propensione, circà tale objectum; sed quod fieret secundùm voluntatis propensionem, si sufficiens adesset illius objecti cognitio: ut si quis interficiat hostem, putans esse feram.

2°. Distribuitur in directum & indirectum. Voluntarium directum, vocatur illud, quod fit cum actuali propensione voluntatis; indirectum verò, quod fit quidem absque actuali voluntatis propensione, sed conjungitur cum aliquo, quod est secundùm actualem voluntatis inclinationem.

3°. In elicitum & imperatum. Elicitum, quod ab ipsâ voluntate producitur; imperatum verò, quod fit ab aliis animæ facultatibus, secundùm voluntatis propensionem.

4°. In necessarium & liberum. Necessarium, quod fit secundùm voluntatis inclinationem, sed absque electione; libe-

rium verò, quod fit cum electione.

5°. Denique, in objectivum & formale. Voluntarium objectivum, est ipsum objectum volitum; & duplex est, directum & indirectum. Directum, quod est in se præcisè volitum, qualis est ebrietas, quam intendit & vult incontinens; indirectum autem, quod non est in se, sed in causâ suâ volitum: sic dum ebrius rixatur, rixa dicitur objectum indirectè volitum; sic etiam qui sibi complacet in occasionibus proximis peccati, censetur indirectè velle ea peccata, quæ has occasiones subsequi solent. Voluntarium formale, est ipsa voluntatis actio, quæ versatur, vel circà finem, vel circà media.

Voluntario opponitur involuntarium, quod triplex tantùm hîc distinguitur, diminutum, negativum & positivum. Diminutum, seu, ut aiunt nonnulli, secundùm quid, est actio, quæ fit partim cum aliquâ voluntatis repugnantiâ, & partim secundùm ejus inclinationem; qualis est projectio mercium in mare, metu naufragii. Negativum, dicitur illud, quod fit absque eo, quòd velimus, aut reluctemur. Positivum, quod solum involuntarii nomen meretur, est quidquid fit nobis invitis.

Occasione distributionum supradicta-

rum, duæ quæstiones hîc proponi solent. Prima, utrùm voluntas cogi possit? Secunda, quænam sint impedimenta voluntarii?

Utrùm voluntas cogi possit?

Sensus quæstionis est, 1°. utrùm voluntas proprios suos actus elicitos dictos, invita producere possit? 2°. An invitâ voluntate, produci possint actus ab aliis facultatibus, ejus imperio subjectis, qui vocantur imperati?

Conclusio prima.

Voluntas cogi potest, quantùm ad actus imperatos dictos. Illi namque actus vocantur coacti, qui fiunt, voluntate reluctante: at actus quidam producuntur ab aliis facultatibus, reluctante voluntate: nam, verbi gratiâ, hæretici per intellectum præbent assensum multis demonstrationibus, circà veram religionem confectis, & tamen eorum voluntas huic assensui reluctatur; proindeque, &c.

At, inquies, actus imperatus, est ille, qui producitur ex imperio voluntatis: atqui repugnat, voluntatem cogi, quantùm ad actus, qui fiunt ex ejus imperio; ergo, &c.

Nego majorem. Actus enim imperati

dici debent, non qui producuntur ex voluntatis imperio, sed qui producuntur à facultatibus, voluntatis imperio naturaliter subjectis.

Conclusio secunda.

Voluntas cogi non potest ad eos actus, qui vocantur eliciti. Voluntas enim cogi non potest ad eos actus, qui produci non possunt ipsâ invitâ : atqui nullus actus elicitus, invitâ voluntate produci potest. Cùm enim actus elicitus, ab ipsâ voluntate producatur, est ipsius determinatio, seu propensio : at repugnat, propensionem voluntatis, esse contrà voluntatis propensionem; proindeque, &c.

Objectiones.

Objicies. 1°. Amor, est actus elicitus : atqui voluntas cogi potest ad amorem. Deus enim voluntatem cogere potest ad inimicos amandos; ergo, &c.

Nego minorem, ejusque probationem. Potest quidem Deus efficere, ut voluntas amet inimicos contrà propensionem suam habitualem, imò contrà propensionem suam actualem præteritam; sed efficere non potest, ut voluntas amet inimicos contrà suam inclinationem actualem præsentem : quia manifesta contradictio est,

voluntatem inclinari contrà suam inclinationem.

At, inquies, Deus infundere potest actum amoris, cui voluntas reluctetur.

Nego propositionem. Tùm quia actus infundi non possunt. Tùm quia hoc manifestam involvit contradictionem, ut modò fuit probatum.

Objicies 2°. Si quæ ratio probaret voluntatem cogi non posse, quantùm ad actus elicitos, maximè quia tales actus essent contrà voluntatis inclinationem, simul & secundùm ejus propensionem: atqui hoc possibile est, ut patet de Mercatoris projectione mercium in mare, metu naufragii, &c.

Distinguo majorem. Sub eodem respectu, concedo. Sub diverso respectu, nego. Nimirùm quæritur hîc, an actus elicitus posset esse simul, secundùm & contrà voluntatis inclinationem, & quidem sub eodem respectu: quod impossibile esse contendimus. Ad exemplum allatum respondeo, Mercatorem illum projectionem mercium inefficaciter tantùm nolle; unde hoc in casu, reipsâ vult projectionem illam.

De impedimentis voluntarii.

Quatuor assignari solent à Philosophis,

quæ reddere possunt actiones nostras involuntarias; scilicet vis externa physica, ignorantia, concupiscentia & metus.

Quod attinet ad vim externam physicam; evidens est ex dictis, ipsam efficere posse, ut quidam actus nostri, imperati dicti, fiant involuntarii, seu coacti. Superest igitur agendum de tribus aliis impedimentis.

De ignorantiâ.

Ignorantia generatim, est absentia cognitionis in subjecto intelligente: multis modis distribui solet. 1°. Namque si spectetur ex parte subjecti; alia dicitur vincibilis, & alia invincibilis. 2°. Si spectetur ex parte objecti; alia dicitur juris, & alia facti. 3°. Si spectetur ratione ipsius actûs, alia dicitur antecedens, & alia concomitans.

Ignorantia vincibilis, dicitur ea, quæ superari potest adhibitâ diligentiâ; & rursùs duplex distinguitur, affectata, & supina, seu crassa. Affectata, dicitur ea, quâ quis ignorat aliquod, quod scire non vult, licet illud scire teneatur; ut si quis Ecclesiam Parrochialem adire nolit, ne audiat indictum jejunii diem.

Ignorantia supina, seu crassa, est ea

quam amovere non curat, qui tamen eam amovere tenetur; ut si quis addiscere negligat, quæ sui sunt officii. Utraque hæc ignorantia nullatenùs excusat à peccato; & consequenter non est impedimentum voluntarii.

Ignorantia invincibilis, dici debet ea, quæ, adhibitâ quâcumque diligentiâ morali, superari non potest; adeòque culpâ vacat.

Ignorantia juris, est ea, per quam non cognoscimus, quid per legem vetitum sit, aut imperatum.

Ignorantia facti dicitur, quando quis non cognoscit, an aliquid acciderit, necne.

Ignorantia antecedens vocatur ea, quæ voluntatis nostræ consensum antecedit, & quâ sublatâ non fieret actio; ut si quis interficeret amicum latitantem, putans esse feram.

Ignorantia concomitans, dicitur ea, quæ actionem reipsâ concomitatur, & quâ sublatâ, nihilominùs fieret actio; ut si quis hostem latitantem interficiat, putans esse feram. In rei veritate, nullum est discrimen inter ignorantiam antecedentem & concomitantem, nisi penès ea, quæ consequuntur actionem. His præmissis, quæritur hîc, qualis ignorantia

impediat, ne actio sit voluntaria? Ut solvatur, sit,

Conclusio.

Actio, quæ fit ex ignorantiâ antecedente & invincibili, censeri debet involuntaria. Actio enim, quæ fit absque cognitione & absque propensione voluntatis, censeri debet involuntaria, saltem negativè: atqui actio, quæ fit ex ignorantiâ antecedente & invincibili, sic se habet. Fit quidem absque cognitione, alioqui non esset antecedens; fit etiam absque voluntatis propensione, quia nulla est propensio versùs ignotum.

Nota porrò, actionem non desinere esse voluntariam, si fiat cum cognitione causæ, ex quâ prævideri potuit effectus secuturus, quamvis effectus hic reipsâ ignoretur: verbi gratiâ, omissio sacri censeri debet voluntaria, respectu illius, qui sciens & volens vacat ludo, quamvis ignoret, quo præcisè tempore fiat sacrum.

Objectiones.

Objicies 1°. Ut aliquid sit involuntarium, voluntas reluctari debet: voluntas attamen non reluctatur in iis, quæ fiunt ex ignorantiâ antecedente & invincibili; ergo, &c.

Distinguo majorem. Voluntas reluctari debet, vel actu, vel habitu, transeat. Actu, nego. Nimirùm actio, de quâ hîc agitur, potest esse contrà voluntatis habitum: nam, verbi gratiâ, qui latitantem amicum interficit, non actu resistit huic occisioni, cùm nullatenùs cogitet de amico; sed est contrà voluntatis inclinationem habitualem: quia in prædictâ hypothesi, sic affectus supponitur interfector, ut si sciret amicum adesse, nollet ipsum interficere. Dixi autem, *transeat*: quia dum agitur de involuntario positivo, seu de coactione, voluntas reluctari quidem debet, vel actu, vel habitu: at dum agitur de involuntario negativo, necesse non est, ut voluntas reluctetur, sive actu, sive habitu.

Instabis. Qui vult causam, vult & effectum: atqui in prædictâ hypothesi, homo ille vult explosionem catapultæ, & explosio hæc, est causa occisionis amici; ergo vult occisionem amici.

Distinguo majorem. Si effectus, aut prævideatur, aut prævideri possit, ex illâ causâ secuturus, concedo. Sin autem, nego. Porrò, talis effectus, nec prævidetur, nec prævideri potest, ex illâ causâ secuturus; alioqui non supponeretur ignorantia invincibilis.

Objicies 2°. Omne peccatum est voluntarium : atqui potest esse peccatum in iis, quæ fiunt ex ignorantiâ invincibili. Multi namque infideles, quales erant Americani ante trecentos annos, non credebant in Christum Dominum, ob ignorantiam antecedentem & invincibilem ; & tamen peccabant, non credendo in Christum Dominum; ergo, &c.

Nego minorem. Infideles enim forsan peccabant, non servando nempè præcepta legis naturalis, quæ à nemine possunt invincibiliter ignorari, sicut ostendetur posteà; sed non peccabant, ex eo præcisè, quòd in Christum Dominum non crederent. Ubi notabis eas actiones, quæ producebantur ab ejusmodi Infidelibus, secundùm legis naturalis præcepta, aliquali sensu vocari posse peccata, quatenùs nempè carebant rectitudine debitâ, ad beatitudinis supernaturalis consecutionem : at ipsas, strictè & accuratè loquendo, non esse peccata, eo sensu, quòd puniendi sint propter illas actiones ; quia tenebantur illas actiones exercere.

Colliges, actiones, quæ fiunt ex ignorantiâ concomitante, dici debere involuntarias negativè ; id est, neque secundùm, neque contrà voluntatis inclinationem actualem ; unde ratione sui, nec

meriti, nec demeriti ſunt capaces.

De impedimentis ex concupiſcentiâ.

Concupiſcentia hîc accipitur pro vehementi motu appetitûs ſenſitivi, circà bonum, aut malum ſenſile. Duplex diſtingui poteſt, antecedens & conſequens. Antecedens dicitur, quæ voluntatis conſenſum antecedit, qualis eſt vehemens iræ motus, voluntatis electionem antecedens, vocatur à Theologis, *motus primo primus*. Concupiſcentia conſequens, dicitur ea, quæ voluntatis conſenſum ſubſequitur & imperatur à voluntate, qualis eſſet impetus iræ, quem ipſa voluntas præſcriberet. Præterea, concupiſcentia antecedens, vel eſt ita vehemens, ut rationis uſum perturbet; vel eſt ita remiſſa, ut rationis uſum relinquat. His poſitis,

Dico, 1°. concupiſcentiam conſequentem, eſſe potiùs augmentum, quàm impedimentum voluntarii. Quod enim fit cum cognitione ſufficienti, & cum majori voluntatis propenſione, dici debet magis voluntarium: atqui quod fit ex concupiſcentiâ conſequente, fit quidem cum ſufficienti cognitione, quandoquidem nullus appetitus ignoti: deinde fit cum majori voluntatis propenſione, ut conſtare debet ex eo quòd, ſublato hoc appe-

titûs ſenſitivi motu, voluntatis actus minùs intenderetur; proindeque, &c.

Dices. Quod minuit cognitionem, minuit voluntarium: atqui concupiſcentia ſic ſe habet. Impedit enim, ne cognoſcatur objecti turpitudo, ſi ſollicitet ad ejus amorem; aut ne cognoſcatur ejus bonitas, ſi ad ejus odium ſollicitet; ergo, &c.

Diſtinguo majorem. Quod minuit cognitionem eorum, quæ nos in amorem objecti poſſunt impellere, ſi agatur de ejus amore; vel eorum, quæ poſſunt avertere ab objecto, ſi agatur de ejus odio, concedo. Quod minuit cognitionem eorum, quæ poſſunt avertere ab objecto, ſi agatur de ejus amore; aut eorum, quæ poſſunt in amorem impellere, ſi agatur de ejus odio, nego. Scilicet ſi agatur, verbi gratiâ, de objecti cujuſdam amore, concupiſcentia conſequens minuit quidem cognitionem eorum, quæ poſſunt animam ab hoc objecto avertere, intellectum ſcilicet & imaginationem aliò detorquendo; ſed non minuit cognitionem eorum, quæ poſſunt animam versùs objectum illud impellere; quandoquidem retinet intellectum in contemplatione bonitatis, vel apparentis illius objecti.

At, inquies, concupiſcentia conſequens

minuit liberum ; ergo minuit & voluntarium.

Esto antecedens, distinguo consequens. Minuit & voluntarium, spectatum ut liberum, esto. Spectatum præcisè ut voluntarium, nego. Solutio ex dictis intelligitur. Dixi autem, *esto* : quia actio, quæ fit ex concupiscentiâ consequente, præsupponit voluntatis electionem, adeòque dici debet libera.

Dico, 2°. actionem, quæ fit ex concupiscentiâ antecedente, sufficientem rationis usum relinquente, voluntariam esse : quia nempè fit cum sufficienti cognitione & voluntatis propensione.

At, inquies, quod fit cum aliquâ repugnantiâ, non est omninò voluntarium : atqui quod fit ex concupiscentiâ antecedente, nonnunquam fit cum aliquâ repugnantiâ. Nam, verbi gratiâ, dum Circulator venenum haurit ex concupiscentiâ lucri, illud haurit cum aliquâ repugnantiâ ; ergo, &c.

Distinguo minorem. Nonnunquam fit cum aliquâ repugnantiâ, ex alio motivo ortâ, concedo. Orta ex ipsâ concupiscentiâ, nego. Repugnantia igitur, quæ reperitur in illo Circulatore, non oritur à concupiscentiâ lucri, sed vel à pravo veneni sapore, vel à metu mortis.

Dico, 3°. concupiſcentiam antecedentem, quæ tollit rationis uſum, ſi quæ tamen tollat, impedire; ne actio ſit voluntaria, nullum enim eſt voluntarium, abſque rationis uſu.

De impedimentis ex metu.

Metus, eſt fuga mali imminentis. Duplex diſtingui ſolet, gravis & levis. Metus gravis vulgô definitur, qui cadit in virum fortem & conſtantem: accuratiùs deſcribi debet fuga mali imminentis & ardui, ſeu vitatu difficilis. Metus levis vulgò definitur, qui nunquam cadit in virum fortem: accuratiùs deſcribi debet, fuga mali imminentis, & vitatu facilis.

Nota porrò, aliud eſſe agere ex metu, & aliud agere cum metu. Agere ex metu, eſt habere metum pro actionis ſuæ motivo; ut ubi quis merces ſuas projicit in mare, dum furit tempeſtas; agere cum metu, eſt metum quidem habere adjunctum, ſed qui non ſit actionis motivum; ut ſi quis furtum cum metu committat. Notandum eſt, metum nonnunquam ita vehementem eſſe, ut rationis uſum tollat. His prænotatis,

Dico, 1°. actiones, quæ fiunt ex metu levi, cenſéri debere voluntarias: quia

fiunt cum ſufficienti cognitione, & cum quâdam voluntatis propenſione.

Dico, 2°. actiones, quæ fiunt cum metu, voluntarias eſſe; ut patet de furto, quod non tantùm voluntarium eſt, ſed & liberum.

Dico, 3°. actiones, quæ fiunt ex metu gravi, ut malum majus vitetur, eſſe voluntarias, dummodò ſufficiens rationis uſus permaneat: quia nempè fiunt cum ſufficienti cognitione, & ſecundùm efficacem voluntatis propenſionem.

Dices. Contractus confecti ex metu gravi, ſaltem injuſtè allato, non obligant; ergo ſignum eſt, eos non eſſe voluntarios.

Nego conſequentiam. Ideò namque tales contractus reſcinduntur, non quòd ſint involuntarii, ſed quia non ſunt omninò liberi; unde ſecuritatis publicæ causâ, per leges ſancitum fuit, ut ejuſmodi contractus manerent irriti. Ubi notabis, meritò additas fuiſſe in objectione, has voces, *ex metu injuſtè illato*: quia validi ſunt contractus facti, ex metu juſtè illato; quandoquidem liberi ſunt in causâ, ſeu ob antecedentem actum liberum injuſtum, propter quem, authoritate publicâ metus poſteà infertur.

Dico denique, actiones, quæ fiunt ex metu, rationis uſum non relinquente,

(si quando hoc contingat), involuntarias esse: quia tunc deest cognitio.

De libero.

Liberum sumitur aliquando pro ipsâ personâ, aliquando pro facultate, & aliquando pro ipso actu. Agemus de libero, his omnibus modis accepto.

Quid sit liberum.

Lutherus & Calvinus, quorum errores profligavit Ecclesia in Concilio generali Tridentino, docuerunt, liberum arbitrium, id est, facultatem hominis liberam, titulum esse sine re, extinctum per Adami peccatum; ita ut sit in nobis agendi necessitas insuperabilis: sententiam hanc refellemus, ubi de existentiâ liberi arbitrii. Nonnulli docent, liberum non esse distinguendum à voluntario; unde, juxtà ipsos, ut actio dicatur libera, sufficit, si fiat cum cognitione, & secundùm voluntatis propensionem. Alii postularunt, ad rationem facultatis liberæ, ut sit perfectè indifferens ad opposita, seu ut voluntas non magis alliciatur ex unâ parte, quàm ex oppositâ: indifferentiam hanc vocant indifferentiam æquilibrii. Denique quidam contendunt, liberum arbitrium, esse fa-

cultatem eligendi media, per ordinem ad finem intentum.

Conclusio prima.

Liberum non est idem, ac voluntarium. Ea namque non sunt unum & idem, quorum unum stare potest cum necessitate; alterum autem definitur, immunitas à necessitate: at voluntarium stare potest cum necessitate, ut patet de amore beatifico, qui voluntarius est simul & necessarius; liberum autem definitur ab omnibus saltem Orthodoxis, immunitas à necessitate; proindeque, &c. Et certè, amor, quo Deus seipsum diligit, necessarius est, ut potè ipsi essentialis, & tamen dici non potest liber, ex parte Dei; ergo, &c.

Dices. Asserit Sanctus Augustinus, ibi esse libertatem, ubi est voluntarium; ergo non distinguuntur.

Nego consequentiam. Nam voluntarium & liberum à Sancto Augustino sumuntur pro facultatibus; unde particula, *ibi*, designat quidem facultatum illarum inseparabilitatem; sed non designat earum identitatem: quemadmodùm dici potest, ibi esse intellectum, ubi est voluntas, quamvis intellectus & voluntas positivè distinguantur.

Conclusio secunda.

Libertas, ut est facultas, non versatur circà finem ultimum generatim sumptum. Libertas enim non versatur circà id, ad quod necessitamur: atqui necessitamur ad amandum finem ultimum generatim sumptum. Probatum enim fuit in Metaphysicâ, hominem præmoveri physicè, generaliter in bonum universim; & præterea nullus est, qui non velit generatim esse beatus, sicut per sensum intimum constat; proindeque, &c.

At, inquies, ex divo Thomâ, voluntas appetit liberè felicitatem universim; ergo voluntas est libera, circà finem ultimum universim.

Distinguo antecedens. Voluntas apperit liberè, libertate à coactione, concedo. Libertate à necessitate, nego. Solutio patet ex definitionibus utriusque libertatis.

Nota porrò, libertatem quadruplicis generis universim distingui posse, scilicet civilem, gloriæ, gratiæ & naturæ. Libertas civilis, est immunitas ab alterius hominis dominio, opponiturque servituti, de quâ dicetur alibi. Libertas gloriæ, est immunitas ab omnibus miseriis, qualis est in solis beatis. Libertas gratiæ, est immunitas & à peccato, & à servitute Dæ-

monum, qualem nobis peperit Salvator noster. Libertas naturæ, est agentis dominium in suos actus; hæcque vel est contrarietatis, vel contradictionis, sicut jam dictum fuit. De postremâ hâc specie nunc agitur.

Conclusio tertia.

Libertas, est vis electiva mediorum, per ordinem ad finem. In eo namque consistit libertas, quod est commune substantiis omnibus liberis, libertate à necessitate: atqui vis electiva mediorum, per ordinem ad finem, sic se habet. Nimirùm convenit libertati Divinæ, libertati Angelicæ, dum Angeli erant in viâ, & libertati Humanæ, quandiu homo est viator; imò proprietates omnes libertatis à necessitate, fluunt ab illâ virtute electivâ; proindeque, &c.

Hinc errant, qui docent, essentiam libertatis à necessitate, reponendam esse in indifferentiâ quâdam activâ, seu in æquilibrio, ita ut agens in utramque partem vacillet. Forsan enim hæc indifferentia convenit libertati Humanæ, sed convenire non potest libertati Divinæ; nec enim Deus potuit esse dubius & anceps, circà agenda, vel non agenda. Dixi autem, *forsan*: quia raro contingit, ut

homines ſint in illo perfecto æquilibrio.

An ſit liberum arbitrium ?

Quatuor hîc inquiruntur. Primum, utrùm homo poſt Adami peccatum, liber ſit, libertate à neceſſitate, præſertim circà actus morales. Huic quæſtioni dedit occaſionem Calvinus, docens, hominem in præſenti ſtatu, ad actus bonos neceſſitari per gratiam; & ad actus malos, per concupiſcentiam. Secundum, an Deus ſit liber, circà entia creata? Tertium, an Chriſtus Dominus fuerit liber, dum viveret in terris? Quartum denique, an belluæ ſint liberæ?

Quod attinet ad poſtremam quæſtionem; quoniam oſtendimus, nullâ ratione efficaci probari poſſe, belluis ineſſe ſubſtantias à materiâ diverſas; probari pariter non poteſt, iis ineſſe facultates activas. Tres igitur priores quæſtiones ſuperſunt diſcutiendæ.

Prima concluſio.

Homo lapſus, ſeu poſt Adæ peccatum, liber eſt, libertate à neceſſitate, circà actus morales. Ille namque liber eſt, libertate à neceſſitate, qui deliberat de agendis, aut non agendis; agens quippe non deliberat circà ea, quæ non ſunt in ſuâ

potestate: verbi gratiâ, cæcus non deliberat, an aspicere debeat, necne: atqui homo lapsus deliberat de actibus moralibus ponendis, aut non ponendis; sicut unusquisque per sensum intimum conscius esse potest; proindeque, &c.

Et certè, ille liber est, libertate à necessitate, circà actus morales, cui præscribuntur præcepta de actibus bonis producendis, & de actibus malis fugiendis, cui promittuntur præmia, si bonos actus eliciat, & intentantur supplicia, si malos producat; hæc enim essent frustranea & ridicula, si de necessariis ageretur: atqui homini lapso præcepta benè vivendi præscribuntur, ipsique proponuntur præmia, si benè, & intentantur supplicia, si malè agat; unde rursùs sequitur, leges omnes Divinas & humanas ab iis funditùs everti, qui tuentur opinionem nostræ oppositam; proindeque, &c.

Denique ille liber est, libertate à necessitate, circà actus morales, quem sic esse liberum testantur Scriptura Sacra, Sancti Patres, & Concilia Oecumenica: atqui, &c. Scriptura quidem Sacra his verbis: *erit illi gloria æterna, qui potuit transgredi, & non est transgressus, facere mala, & non fecit:* deinde Sancti Patres, verbi gratiâ, Sanctus Augustinus, qui sic

loquitur : *peccato teneri non possumus, si libero ad faciendum, aut non faciendum careamus animi motu.* Concilia pariter Oecumenica, verbi gratiâ, Concilium Tridentinum his verbis, *si quis dixerit, liberum hominis arbitrium, post Adæ peccatum, amissum & extinctum, aut rem esse de solo titulo; imò titulum sine re, figmentum denique in Ecclesiâ, à Satanâ invectum; Anathema sit.*

Objectiones.

Objicies. Ille non est liber circà suos actus, qui ad eos determinatur à causâ extrinsecâ : atqui homo lapsus determinatur ad actus bonos à Deo, & ad actus malos, tùm à dæmonibus, tùm à variis objectis sensilibus ; ergo, &c.

Distinguo majorem. Qui determinatur physicè specialiter, concedo. Moraliter tantùm, nego. Solutio intelligitur ex dictis in Metaphysicâ, ubi de præmotione.

Instabis. Qui non facit quod vult, physicè specialiter determinatur à causâ externâ : atqui homo lapsus non, &c. ut constat per sensum intimum.

Distinguo majorem. Qui non facit quod vult efficaciter, concedo. Inefficaciter tantùm, nego. Itaque volitio duplex distingui debet in homine lapso, altera efficax,

quâ homo hîc & nunc se determinat ad hoc agendum, vel non agendum; altera verò inefficax, quâ postquam novit quid sit agendum, aut fugiendum, non sequitur tamen rationis dictamen: nimirùm occasione sensationum, quædam sunt in nobis propensiones versùs objecta sensilia; & occasione intuitûs idearum recti & honesti, quædam sunt in nobis propensiones versùs objecta insensilia & spiritualia. Jam verò, quædam ex ejusmodi propensionibus inter se sæpissimè sunt oppositæ, & exindè nascitur quasi bellum intestinum; tuncque sæpè non facimus quod volumus, id est, rectæ rationis dictamen sæpè deserimus: unusquisque autem conscius est, in suâ potestate esse, dictamen illud aut sequi, aut deserere.

Objicies. 2°. Ille non est liber, qui non habet consilia sua in suâ potestate: atqui homo lapsus sic se habet. Sic enim legitur Proverbiorum capite primo, *hominis consilia sunt in manu Dei.* Sic etiam habet Jeremias, *non est hominis dirigere vias suas*; ergo, &c.

Distinguo majorem. Qui non habet consilia sua in potestate suâ, quantùm ad mediorum electionem, concedo. Quantùm ad eventum, seu finem, nego. Reverâ, consilia hominis sunt in potestate solius

Dei, quantùm ad eventum; tùm quia ab ipso solo diriguntur in certos fines, qui captum humanum longè superant; sicut intelligitur de consilio fratrum Josephi; tùm quia Deus impedire potest, & plerumque impedit, (varias interponendo circumstantias), ne homines ad optatos exitus sua perducant consilia; sed contendo, hominis consilia esse in ipsius potestate, quantùm ad mediorum electionem; ita ut hoc, vel illud medium pro suo beneplacito possit assumere; alioqui nec meriti, nec demeriti foret capax. Ad authoritatem autem Jeremiæ, respondeo hoc verum esse, si viæ illæ spectentur per ordinem, ad beatitudinem supernaturalem: hujus enim beatitudinis assecutio pendet à gratiâ supernaturali, quæ non est in hominis potestate; unde textus ille non est intelligendus de mediorum electione.

Objicies. 3°. Ex Sancto Augustino, homo per peccatum, & se & liberum perdidit arbitrium; ergo post Adæ peccatum, non remansit liberum arbitrium.

Distinguo antecedens. Liberum perdidit arbitrium, quantùm ad complementum, concedo. Quantùm ad essentiam, seu naturam, nego. Liberum arbitrium spectatur quantùm ad essentiam, quando con-

ſideratur prout eſt vis electiva mediorum in ordine ad finem: tunc autem ſpectatur quantùm ad complementum, quando conſideratur, prout adjunctas habet gratias, & plenum habet in partem inferiorem dominium. Reverâ, homo per peccatum amiſit illa complementa, id eſt, gratias minùs intenſas recipere cœpit, & aliquando nullas: deinde pars inferior contrà ſuperiorem facta fuit rebellis, ſed non amiſit eſſentiam libertatis. Libertas enim ſumitur, vel pro facultate, vel pro actu. Si pro facultate, quoniam facultates ſunt eſſentiales, amitti non poſſunt; ſi verò ſumatur pro actu, quoniam homo debet eſſe meriti & demeriti capax in hâc vitâ, non poteſt amittere dominium quodvis in ſuos actus.

Inſtabis. 1°. Qui gravem contraxit peccandi neceſſitatem, liberum amiſit arbitrium, ſaltem quantùm ad exercitium; atqui homo per peccatum, gravem contraxit peccandi neceſſitatem, ut loquuntur Sancti Patres; ergo, &c.

Diſtinguo majorem. Qui gravem contraxit peccandi neceſſitatem phyſicam, concedo. Moralem tantùm, nego. Reverâ poſt Adæ peccatum, homo gravem contraxit peccandi neceſſitatem moralem, hoc eſt, à peccato vix ſeſe abſtinet; ſed

hæc neceſſitas phyſica non eſt, quaſi ſcilicet abſolutè non poſſit non peccare; alioqui non ampliùs eſſet culpandus.

Inſtabis. 2°. Qui non poteſt ſeſe abſtinere à peccato, gravem contraxit peccandi neceſſitatem phyſicam: atqui poſt Adæ peccatum, homo ſeſe abſtinere non poteſt à peccato; nam ex Scripturâ Sacrâ, *Juſtus in die ſepties peccat.*

Diſtinguo majorem. Qui ſeſe abſtinere non poteſt à peccato, hoc vel de illo determinatè ſumpto, concedo. A peccato univerſim, nego. Reverâ, homo in præſenti ſtatu, ſeſe abſtinere non poteſt à peccato univerſim: quia ignorantiæ tenebris obvolvitur, & concupiſcentiæ motibus jugiter agitatur; ſed ſeſe abſtinere poteſt à peccato quovis, determinatè ſumpto, reflectendo ſcilicet in finem & circumſtantias: verbi gratiâ, quilibet homo conſcius eſt, ſeſe abſtinere poſſe ab hoc numero furto patrando.

Concluſio ſecunda.

Deus non eſt liber, circà ſuos actus immanentes dictos. Non datur enim libertas, ſeu immunitas à neceſſitate, circà neceſſaria & eſſentialia: atqui actiones Dei immanentes, neceſſariæ ſunt & eſſen-

riales Deo. Repugnat enim, Deum esse posse sine ejusmodi actibus, verbi gratiâ, sine cognitione & amore sui; ergo, &c.

Conclusio tertia.

Deus est maximè liber, circà actiones suas transeuntes dictas, seu, ut aiunt, *ad extrà.* Nam eodem modo judicandum est de cæteris actionibus Dei transeuntibus, ac de creatione & conservatione mundi: atqui Deus liberè creavit mundum, ipsumque liberrimè conservat. Primò quidem mundum liberrimè creavit. Nisi namque mundum liberrimè creasset, mundus esset necessarius: quod manifestam involvit contradictionem, ut constat ex dictis in Metaphysicâ. 2°. Deus mundum liberrimè conservat. Cùm enim conservatio sit continuata creatio, ex eo, quòd Deus mundum liberrimè creaverit, sequitur, mundùm ab ipso liberrimè conservari; proindeque, &c.

Objectiones.

Objicies. 1°. Qui fuit ab æterno determinatus, ad mundum creandum, non fuit liber, circà mundi creationem: atqui Deus ab æterno fuit determinatus, ad mundum creandum; nova quippè volun-

tatis determinatio denotat imperfectionem; ergo, &c.

Diſtinguo majorem. Qui fuit ab æterno determinatus neceſſariò, concedo. Liberè, nego. Reverâ, Deus ab æterno fuit determinatus ad mundum creandum, ſed hæc determinatio libera fuit, reſpectu Dei: quia ſeſe ſic determinavit ad mundum creandum, ut ab æterno potuerit ſeſe determinare ad ipſum non creandum.

Inſtabis. Omnis cauſa libera debet eſſe indifferens, priuſquam ad agendum ſeſe determinet: atqui ſi Deus ab æterno fuit determinatus ad mundum creandum, non fuit priùs indifferens; ergo non fuit liber.

Diſtinguo majorem. Omnis cauſa libera finitè intelligens, tranſeat. Infinitè intelligens, nego. Forſan igitur cauſa libera finitè tantùm intelligens, priùs eſt indifferens, quàm ſeſe determinet: quia nonnunquam indiget diſcurſu circà agenda, vel fugienda; ſed cauſa libera infinitè intelligens, non debet eſſe priùs indifferens, quàm ſeſe determinet: quia neceſſariò novit omnia, nec proindè vacillare poteſt circà agenda, vel non agenda. Dixi autem, *tranſeat*: quia cauſa libera finitè tantùm intelligens, ſæpiùs ſatis cognoſcit quid ſit agendum, aut fugiendum.

Objicies 2°. cum Spinosâ. Modus operandi sequitur modum essendi; ergo cùm Deus necessariò existat, semper necessariò agit.

Distinguo antecedens. Eo sensu, quòd operatio vires, & qualitates suæ causæ, non possit excedere, concedo. Eo sensu, quòd operatio habere debeat qualitates omnes suæ causæ, nego. Enim verò, si operatio habere deberet qualitates omnes suæ causæ, ut voluit Spinosa, operatio foret substantia, principium operandi, & esset infinita in omni genere: quæ sunt totidem absurda.

Objicies denique. Si Deus fuisset liber circà mundi productionem, ex omnibus mundis possibilibus, optimum eligere & producere debuisset: atqui mundus hic non est omnium possibilium optimus; ergo, &c.

Distinguo majorem. Omnium possibilium optimum, relativè ad finem intentum, eligere debuisset, concedo. Optimum absolutè, nego. Reverâ, per ordinem ad finem, quem Deus sibi proposuit ex omnibus mundi possibilibus, optimum elegit: quia sapientissimus opifex semper eligit optima media, relativè ad finem intentum; sed ex omnibus mundis possibilibus, Deus eligere non potuit optimum

absolutè. Non potuit enim eligere quod est impossibile : at mundus omnium possibilium optimus absolutè, impossibilis est. Cùm enim mundus possit esse perfectior, & perfectior in infinitum, omnium perfectissimus absolutè repugnat : quemadmodùm enim ex eo, quòd pars extensionis minor, & minor in infinitum dari possit; exindè sequitur, partem extensionis omnium minimam repugnare; sic ex eo, quòd mundus possit esse perfectior, & perfectior in infinitum; exindè sequitur, repugnare mundum omnium absolutè perfectissimum.

Conclusio quarta.

Christus Dominus fuit liber. Ubi namque reperitur meritum, ibi reperiri debet libertas : nullum namque datur meritum circà necessaria : atqui in Christo Domino fuit meritum. Christus namque Dominus, ut fides docet, meritus est hominum omnium redemptionem & salutem; proindèque, &c. Adde multa Scripturæ Sacræ testimonia, ex quibus constat, Christum Dominum fuisse liberum; Isaiæ namque capite septimo, sic legitur, *butyrum & mel comedit, ut sciat reprobare malum, & eligere bonum.* Sic etiam legitur in novo Testamento : *Ego*, inquit ipse Christus, *pono*

animam meam, & nemo tollit eam à me; sed ego pono eam à meipso. Oblatus est, quia voluit.

Nota porrò, duplicem esse voluntatem in Christo Domino, Divinam scilicet & humanam. Non agitur hîc de libertate voluntatis Divinæ, mox enim de eâ dictum fuit; sed agitur duntaxat de voluntate humanâ Christi. Hoc notato,

Dices. Qui determinatus fuit ad unum, non fuit liber: atqui Christus Dominus, ut homo, determinatus fuit ad unum, scilicet ad bonum; ergo, &c.

Distinguo majorem. Qui determinatus fuit ad unum actum, concedo. Ad unum actionis genus, nego. Porrò, Christus Dominus, ut homo, determinatus quidem fuit ad unum actionis genus, scilicet ad actiones bonas; nec enim fuit liber ad peccandum, ut ostendetur posteà; sed determinatus non fuit saltem physicè specialiter, ad unam numero bonam actionem. Uno verbo Christus, ut homo, non fuit liber, libertate contrarietatis; sed fuit liber, libertate contradictionis.

Instabis. Qui determinatus fuit ad cognitionem & amorem Dei, determinatus fuit ad hanc numero actionem: atqui Christus Dominus sic fuit determinatus; quandoquidem anima rationalis Christi jam erat beata; ergo, &c.

Distinguo majorem. Determinatus fuit ad hanc numero actionem absolutè sumptam, transeat. Quantùm ad circumstantias spectatam, nego. Itaque amor Dei, verbi gratiâ, considerari potest in Christo Domino, vel absolutè, prout nempè terminabatur ad Deum, vel quantùm ad circumstantias, verbi gratiâ, prout erat junctus cum intentione genus humanum redimendi. Reverâ, Christus Dominus non fuit liber, circà amorem Dei absolutè sumptum; sed liber fuit circà hujus amoris circumstantias, id est, amando Deum, potuit intendere, vel non intendere generis humani redemptionem. Dixi autem, *transeat*: tùm quia certum non est, animam rationalem Christi fuisse beatam, ante mortem: tùm quia, ex hypothesi, quòd tunc fuerit beata, Christus, ut homo, fuit quidem determinatus ad hanc numero actionem, cum beatitudine necessariò connexam, sed non fuit determinatus ad alias numero actiones, cum beatitudine non necessariò connexas.

Conclusio quinta.

Christus Dominus, ut homo, non fuit liber ad peccandum. Si enim liber fuisset ad peccandum, persona Divina propter suam unionem hypostaticam cum naturâ

Humanâ, dici potuisset libera ad peccandum, quia actiones sunt suppositorum, seu tribuuntur personis: impium consequens; ergo, &c.

Dices. Libertas ad peccandum, est de essentiâ libertatis creatæ; ergo Christus, ut homo, liber fuit ad peccandum.

Distinguo antecedens. Libertas sumpta pro facultate, concedo. Sumpta pro actu, nego. Reverâ, facultas defectibilis fuit in Christo, ut homine: quia facultas finita eo ipso, quo finita est, essentialiter est defectibilis; sed facultas illa ligata fuit, sicut ligatur in Beatis, & quidem potiori jure, ob unionem hypostaticam cum Verbo. Quoniam autem secundùm communem usum loquendi, ibi nullam esse potentiam dicitur, ubi ligatur & impeditur; ideò in sermonibus vulgaribus dicendum erit, Christum Dominum, ut hominem, potentiâ peccandi caruisse.

Conclusio sexta.

Christus Dominus liber fuit circà mortem. Qui enim potuit, vel mori, vel non mori pro suo beneplacito, liber fuit circà mortem: atqui Christus Dominus id potuit. Tùm quia *oblatus est, quia voluit.* Tùm quia mors est pœna peccati: at in Christo

Domino, ut homine, nullum fuit peccatum; proindeque, &c.

At, inquies, Christus petiit dipensationem à morte, his verbis: *Pater, si fieri potest, transeat à me calix iste*; neque tamen eam obtinuit.

Respondeo, Christum Dominum inefficaciter tantùm dispensationem illam postulasse, ut patet ex sequentibus verbis: *veruntamen fiat voluntas tua.* Eatenùs igitur, juxtà Sanctos Patres, dispensationem illam petiit, quatenùs exemplum petendi nobis præbere voluit.

Quæres autem, 1°. an Christus Dominus fuerit liber, circà mortis circumstantias?

Respondeo, ipsum fuisse liberum circà mortis circumstantias. Qui enim liber fuit circà mortem ipsam, à fortiori liber fuit circà ipsius circumstantias: atqui, &c. ergo, &c. Hinc mori potuit, hoc vel illo tempore, in hoc, vel illo loco, ex hoc, aut illo motivo; nec refert, quod per Prophetas prænuntiatæ fuerint illæ circumstantiæ. Eatenùs enim sic fuerant prænuntiatæ, quatenùs præviderat Deus, futuram determinationem liberam voluntatis humanæ Christi.

Quæres, 2°. an Christus Dominus fuerit liber circà præcepta moralia & positiva?

Respondeo, 1°. Christum non fuisse liberum circà præceptorum illorum naturam, quia sunt immutabilia; nec pendent ab acceptatione.

Respondeo, 2°. Christum fuisse liberum circà præceptorum illorum circumstantias, præsertim circà motivum, quo impellebatur, dum ea adimplebat, si quidem ipsa potuit adimplere, vel propter hominum salutem, vel propter alium finem.

Cur sit liberum arbitrium.

Actio libera, præsertim honesta, est causa finalis proxima liberi arbitrii sumpti pro facultate; facultas enim proximè refertur ad suos actus: deinde gloriam Dei esse causam finalem ultimam liberi arbitrii sumpti, tùm pro facultate, tùm pro actu.

Solus Deus, est causa efficiens liberi arbitrii sumpti pro facultate; homines autem sunt causæ effectrices secundæ, suorum actuum liberorum.

Ideæ, secundùm quas producta fuit facultas, & producuntur actus liberi, sunt causæ exemplares libertatis creatæ.

Quæstio hîc agitari solet, circà subjectum immediatum facultatis liberæ. Scilicet Durandus, ex unâ parte docuit, libertatem residere in intellectu; cæteri verò contendunt,

contendunt, ipsam residere in voluntate.

Hæc difficultas facilè solvitur in nostris principiis. Cùm enim libertas sit facultas, in aliâ facultate residere non potest. Quod si quæratur, ad quam facultatem generalem revocanda sit hæc specialis facultas, respondendum est, ipsam esse revocandam ad voluntatem; electio enim, quæ est actus hujus specialis facultatis, nihil aliud est, quàm volitio unius, præ alio.

Quale sit liberum arbitrium.

Duæ præcipuæ proprietates liberi arbitrii numerari solent, scilicet meriti & demeriti capacitas, ac indifferentia.

Quod attinet ad meriti & demeriti capacitatem: notandum est, varias esse harum vocum acceptiones; imò circà diversas illas acceptiones, inter se non consentiunt Theologi. Opinio Hugonis Victoris, rectæ rationi mihi videtur consona; sic autem loquitur, mereri, inquit, genuinam habet significationem. 1°. Dum quis per opus bonum efficitur dignus aliquo, quo priùs non erat dignus: juxtà hanc significationem, Christus Dominus, nec secundùm Divinitatem, nec secundùm Humanitatem meruit; unde hoc sensu soli Christiani mereri possunt. 2°. Ritè quis etiam mereri dicitur, vel quando

beneficium confert gratitudine dignum; vel quando ea nobis præstat beneficia, propter quæ eum laudare tenemur: utroque posteriore modo, Christus Dominus per passionem suam meruit; siquidem & erga ipsum tenemur esse grati, & ipsum in æternum laudare debemus.

Colliges, quosdam sibi mereri, quosdam aliis mereri, & tandem quosdam & sibi & aliis mereri. Hinc 1°. Deus meretur honorem: quia nobis præstat beneficia gratitudine & laude digna. Hinc 2°. Christus Dominus nobis meruit salutem æternam. Hinc 3°. Beati pro nobis orando, non sibi, sed nobis merentur; hinc denique, nos omnes in commmunione Sanctorum meremur, & nobis & fratribus nostris, sive viventibus, sive mortuis, qui purgantur in igne.

Quod attinet ad indifferentiam: notandum est, ipsam esse modificationem, per quam substantia capax est alicujus formæ, vel producendæ, vel recipiendæ, hujus aut alterius speciei; hinc alia dicitur contradictionis, ad formam nimirùm, aut absentiam hujus formæ; alia verò contrarietatis, ad formas specie oppositas. Utraque est, vel activa, vel passiva.

Indifferentia activa, duplex subdistinguitur, negativa & positiva. Negativa

definitur, cujuslibet determinationis absentia: vocatur aliter, modò incertus animi status, modò animi suspensio, modò indifferentia versatilis, modò indifferentia æquilibrii, &c. Indifferentia positiva definitur, electio unius medii præ alio. His positis, dico, 1°. indifferentiam negativam, non esse proprietatem liberi arbitrii, vel creati: tùm quia voluntas humana Christi, quatenùs libera, non fuit indifferens indifferentiâ versatili: tùm quia supradictum æquilibrium in nobis nunquam ferè reperitur; vel enim gratia prævalet concupiscentiæ, vel concupiscentia prævalet gratiæ.

Dico, 2°. indifferentiam activam positivam, strictè & accuratè loquendo, non esse proprietatem liberi arbitrii: quia est ipsa libertatis essentia.

Quotuplex sit liberum arbitrium.

Præter varias libertatis distributiones, superiùs allatas, quæritur hîc, an liberum arbitrium creatum, distribui possit in positivum & privativum, hoc est, utrùm libertas creata extendatur, non tantùm ad ea, quæ committuntur, sed etiam ad ea, quæ omittuntur? vel, ut quidam loquuntur, an possibilis sit omissio pura libera,

id est, omissio illius actûs, quæ nullum habeat adjunctum voluntatis actum? Nonnulli contendunt, impossibilem esse hanc omissionem; alii verò docent, ipsam esse possibilem.

Ut solvatur hæc quæstio, notandum est, aliquid dici posse volitum duobus modis actualiter, &, ut aiunt, imputativè. Illud dicitur volitum actualiter, circà quod voluntas agit; illud autem dicitur volitum imputativè, quod imputari potest voluntati, perindè ac si consensum expressum dedisset, ex eo nempè, quòd anima debuerit attendere. Hoc notato,

Dico, possibilem esse omissionem puram liberam. Omissio namque pura libera, dicitur omissio actûs, per legem imperati, ita ut hæc omissio nullum habeat adjunctum voluntatis actum: atqui talis omissio possibilis est. Nam ad hoc sufficit, quod voluntas manere possit otiosa, circà objectum aliquod, dum tamen circà ipsum actum aliquem producere tenetur: atqui hoc est possibile. Nam, verbi gratiâ, fieri potest, ut homo, qui manè & vesperè tenetur orare, nullatenùs oret; imò de oratione nullatenùs cogitet; proindeque, &c.

Dices. 1°. nihil est liberum, nisi sit volitum; atqui omissio pura, dici non

potest volita; ergo reipsâ non est libera; & consequenter omissio pura libera, contradictionem involvit.

Distinguo majorem. Nisi sit volitum, aut actualiter, aut, ut aiunt, imputativè, concedo. Solummodò actualiter, nego. Solutio intelligitur ex notato.

Instabis. Liberum fieri debet à principio interno: at omissio non fit, cùm sit absentia; ergo, &c.

Duplici modo distingui potest major: priore modo sic. Liberum positivum, concedo. Liberum privativum, nego. Posteriore modo sic. Liberum actuale, concedo. Liberum imputativum, nego. Solutiones intelliguntur ex dictis.

Dices. 2°. Dari non potest omissio pura libera, quæ sit bona; ergo nec dari potest omissio pura libera, quæ sit mala.

Nego consequentiam. Disparitas est, quia ad bonitatem requiritur intentio finis boni, cum electione medii legitimi; adeòque requiritur actus positivus: at verò ad malitiam sufficit absentia actuum, quos producere tenemur.

De habitibus.

Habitus universim definiri debet, facilitas ad aliquid. Distribui potest in congenitum & acquisitum; in naturalem &

ſupernaturalem. Habitus congenitus, dicitur ille, qui ſimul cum facultate fuit productus; qualis fuit in Adamo habitus philoſophandi. Habitus acquiſitus, eſt facilitas labore & exercitio ſucceſſu temporis comparata; qualis eſt habitus diſcurſivus in nobis. Habitus naturalis, dicitur ille, qui ſecundùm leges ordinarias comparari poteſt; qualis eſt in nobis habitus diſcurrendi. Habitus ſupernaturalis, eſt ille, qui liberaliter ſic à Deo conceditur, ut ſecundùm leges ordinarias, nunquam poſſet à nobis comparari; quales ſunt habitus fidei, ſpei & charitatis. De ſupernaturalibus diſſerunt Theologi. Hîc agitur de ſolis habitibus naturalibus.

Variæ ſunt Philoſophorum opiniones, circà naturam habituum naturalium. Alii quippè volunt, habitus naturales in ſolâ impedimentorum remotione conſiſtere. Alii dicunt, habitus eſſe qualitates potentiis ſuperadditas. Alii diſtingunt inter habitus ſpirituales & habitus corporeos: deinde docent, habitus ſpirituales conſiſtere ex parte intellectûs, in ſpeciebus expreſſis, & ex parte voluntatis, in terminis quibuſdam immanentibus; corporeos verò, in veſtigiis quibuſdam cerebro impreſſis, per quæ ſpiritus animales diſcurrunt.

Conclusio prima.

Habitus non consistit in solâ impedimentorum remotione. Quod enim est positivum, non consistit in merâ absentiâ: atqui habitus, est quid positivum; & impedimentorum remotio, est mera absentia. Primò quidem habitus, est quid positivum, tùm quia per habitum, facultas in actus suos faciliùs prorumpit: tùm quia non posset aliter intelligi, quomodò Deus habitus quosdam infunderet. 2°. Impedimentorum remotio, est mera absentia: impedimenta namque removeri, nihil aliud est, quàm ipsa fieri absentia; ergo, &c.

Dices. Positâ impedimentorum remotione, intelligitur agendi facilitas in facultate; ergo, &c.

Distinguo antecedens. Si multi similes actus fuerint à facultate producti, ut removerentur impedimenta, concedo. Ex eo præcisè, quòd remota fuerint impedimenta, nego. Nimirùm quoniam, juxtà leges ordinarias, removeri non possunt impedimenta, quin multi similes actus exerceantur; & proindè quin horum actuum occasione, habitus producantur in facultate; ideò habitus, qui paulatim intenduntur, quâ proportione removentur

impedimenta, judicantur oriri ab impedimentorum remotione, quamvis reipsâ naſcantur à frequenti actuum ſimilium repetitione, tanquam à causâ occaſionali. Præterea, quantumvis impedimenta ſupponantur ab animâ rationali remota, nunquam tamen in ipsâ poſſunt intelligi habitus fidei, ſpei & charitatis, niſi Deus quid poſitivum producat in animâ.

Conclusio secunda.

Habitus intellectuales non conſiſtunt in ſpeciebus expreſſis dictis. Habitus enim intellectuales non conſiſtunt in eo, quod eſt merum figmentum: atqui ſpecies expreſſæ dictæ, ſunt merum figmentum. Dicuntur enim imagines, ab animâ rationali efformatæ, ad præſentiam ſpecierum impreſſarum, ſeu imaginum ab objectis ad cerebrum uſque tranſmiſſarum: atqui fictitiæ, ſunt omnes ejuſmodi imagines. Tùm quia, ut monuimus in Metaphyſicâ, nunquam explicari potuit ab Adverſariis, quomodò ſpecies impreſſæ dictæ, tranſmittantur ad cerebrum: tùm quia, quamvis tales imagines ad cerebrum uſque tranſmitterentur, forent ſemper objecta, extrà animam poſita, quæ proindè nunquam ab animâ cognoſci poſſent, abſque repræſentationibus in animâ

positis: tùm denique, quia solus Deus, est causa effectrix idearum & imaginum, quæ sunt in animâ nostrâ, sicut probatum fuit in Metaphysicâ; proindeque, &c.

Conclusio tertia.

Habitus voluntatis non consistunt in terminis immanentibus actionum hujus facultatis. Tùm quia nunquam explicari potuit ab Adversariis, quid sint illi termini immanentes. Tùm quia, si tales termini fuissent ab animâ primùm producti, deberent ab ipsâ conservari, seu jugiter produci: at ejusmodi termini non sic ab animâ jugiter producuntur; ut constat ex eo, quòd habitus voluntatis in esse suo permaneant, licet anima de iis nullatenùs cogitet; proindeque, &c.

Conclusio quarta.

Habitus corporei non consistunt in vestigiis cerebro impressis, per continuum spirituum animalium transitum. Tùm quia probatum fuit, non dari spiritus animales, qui possent illa vestigia delineare. Tùm quia, licet existerent spiritus animales, non divagarentur extrà sua vascula, nec proindè vestigia possent imprimere cerebro; proindèque, &c.

Conclusio quinta.

Habitus, prout se tenent ex parte animæ, sunt modificationes à solo Deo productæ & conservatæ; vel independenter ab ullis actibus præviis, si agatur de habitibus, aut congenitis, aut supernaturalibus; vel dependenter à præviis actibus similibus, frequenter repetitis, si agatur de habitibus naturalibus, & acquisitis. Illud enim statuendum est de naturâ habituum, prout se tenent ex parte animæ: quo posito, facilè possunt explicari, quæcumque pertinent ad habitus sic sumptos: atqui, &c. Primò quidem nonnulli habitus possunt esse congeniti, si nempè Deus animam rationalem primùm producendo, modificationes illas simul cum ipsâ producat. 2°. Habitus naturales & acquisiti possunt, vel augeri, vel minui: quia scilicet, cùm pendeant ab actibus similibus, frequenter repetitis, tanquam à causâ occasionali, debent augeri, si frequenter iterentur actus similes; & imminui debent, si producantur actus prioribus oppositi: quemadmodùm augentur, vel minuuntur sensationes, prout motus causarum occasionalium, augentur, vel minuuntur; proindeque, &c. Quod autem solus Deus sit illarum modificationum

causa efficiens, constabit ex dicendis de habituum causis.

Conclusio sexta.

Habitus, ut se tenent ex parte organorum corporeorum, consistunt in commotionibus & complicationibus illius membranæ, quæ dicta fuit, *pia mater*. Ad hoc enim sufficit, quod ejusmodi membrana diversimodè commoveri & complicari possit; quodque postquam simili modo multoties commota fuit & complicata, faciliùs posteà commoveatur & complicetur illo modo: hoc enim posito, intelligi possunt quæcumque pertinent ad habitus organorum corporeorum; sicut constat ex dictis in Physicâ particulari, ubi de phantasiâ & memoriâ; proindeque, &c.

Existere habitus ex parte animæ, patet, tùm ex eo, quòd alii aliis faciliùs discurrant; alii aliis faciliùs actus virtutis exerceant: existere pariter habitus ex parte organorum corporeorum, constare debet ex eo, quòd alii aliis faciliùs scribant, pingant, organa musica pulsent; proindeque, &c.

Cur sint habitus.

Circà causas habituum, duo tantùm hîc

inquiruntur. Primum, quodnam ſit habituum ſubjectum? Secundum, quænam ſit eorum cauſa effectrix?

Ut ſolvatur prior quæſtio, memineris duplex eſſe ſubjectum, *quo*, ſeu proximum, & *quod*, ſeu remotum. Non agitur hîc de ſubjecto remoto, ſed difficultas eſt circà potentias animæ noſtræ, quæ ſint habituum capaces.

Dico autem, 1°. omnes animæ rationalis potentias activas, habituum eſſe capaces. Si enim omnes illæ potentiæ modò faciliùs, modò difficiliùs in actus ſuos prorumpant; ſignum eſt, ipſas eſſe habituum capaces: atqui res ſic ſe habet, ut per inductionem patet. Nam, verbi gratiâ, intellectus paulatim acquirit diſcurrendi facilitatem; voluntas ſenſim aſſueſcit virtutum, aut vitiorum actibus; in nonnullis hominibus promptior & expeditior eſt imaginandi facilitas, quàm in aliis hominibus: appetitus ſenſitivus ſenſim acquirit facilitatem obtemperandi partis ſuperioris imperio; proindeque, &c.

Dices. Si voluntas acquireret facilitatem circà bonum, minueretur perſonæ meritum. Ubi namque minuitur difficultas, minuitur & meritum: atqui, poſito habitu, minuitur difficultas, cùm habitus ſit facilitas; ergo, &c.

Nego sequelam, & ad probationem distinguo majorem. Ubi minuitur difficultas, ex parte objecti, esto. Ex parte facultatis, nego. Reverâ, ubi major est difficultas, ex parte objecti, forsan majus est meritum, quia actus specificantur ab objectis: at ubi major est difficultas, ex parte facultatis tantùm, non ideò majus est meritum; alioqui Justi, in quibus habitus virtutis valdè sunt intensi, minùs mererentur, quàm qui quosdam virtutis actus incipiunt exercere: quod est absurdum. Dixi autem, *esto:* quia meritum æstimatur potiùs ex dignitate & excellentiâ operantis, quàm ex difficultate, quæ occurrit inter operandum; ut patet de meritis Christi Domini, ut hominis.

Dico, 2°. facultates passivas animæ rationalis habituum non esse capaces: dùm enim agitur de modificationibus recipiendis, verbi gratiâ, de recipiendis ideis, nulla potest excogitari major, aut minor facilitas in substantiâ spirituali recipiente. Hinc si sint assuetudines quædam respectu gustûs, olfactûs, auditûs, &c. nullatenùs se tenent ex parte animæ, sed tantùm ex parte organorum corporeorum.

Quod attinet ad causam effectricem habituum in substantiis spiritualibus: docent Peripatetici, actus similes frequenter re-

petitos, esse causas habituum effectrices. Verùm actus immeritò dicuntur causæ efficientes habituum: tùm quia actus non habent agendi facultatem; tùm quia quidam habitus existunt in animâ rationali, infusi dicti, qui quoslibet actus antecedunt; & consequenter ab iis non pendent, ut producantur & conserventur. Hinc actus possunt esse solummodò causæ occasionales, cur producantur habitus in facultatibus activis.

Quidam volunt, habitus ab ipsâ animâ rationali produci. Verùm quoniam habitus permanent in animâ, licet de iis nullatenùs cogitet; signum est, ipsos ab animâ rationali non conservari, nec proindè produci.

Dico igitur, solum Deum esse causam efficientem physicam habituum animæ rationalis. Solus enim Deus potest agere physicè in animas rationales; proindèque, &c.

Quales sint habitus.

Proprietates præcipuæ habituum, sunt, quod possint augeri, vel minui, & nonnunquam totaliter deleri: possunt autem augeri duobus modis, extensivè & intensivè. Augentur extensivè, quando fit transitus ad objecta nova: verbi gratiâ, ha-

bitus totalis Logicæ augetur extensivè, dum fit transitus, à judicio, ad discursum: augentur autem intensivè, quando circà eadem numero objecta, perfectiores evadunt: verbi gratiâ, habitus discurrendi, augetur intensivè, quando de iisdem objectis promptiùs & faciliùs discurrimus.

Circà habituum extensionem, nulla hîc est difficultas: at circà eorumdem intensionem, non consentiunt inter se Philosophi. Nimirùm nonnulli contendunt, habitus augeri intensivè, per additionem graduum gradibus; imminui verò, per eorumdem graduum substractionem. Alii graduum additionem hanc, aut substractionem, judicant impossibilem: ex his autem alii volunt, habitus intendi tantùm posse, per actus prioribus intensiores; quidam autem, per actus tùm intensiores, tùm per actus æquè intensos, tùm per remissiores prioribus. Tandem nonnulli docent, habitus destrui posse, solâ actuum cessatione.

Dico, 1°. habitus augeri intensivè, per additionem graduum gradibus. Tunc enim habitus augentur intensivè, quando facilitates crescunt circà eadem numero objecta, sub eodem respectu considerata: porrò, facilitates sic crescere concipiuntur, quando novæ facilitates aliis simi-

libus jam exiſtentibus adduntur ; ita ut ex novis & veteribus facilitatibus exurgat facilitas totalis major : quemadmodùm ſi impetui mobilibus quibuſdam jam applicato, ſuperaddantur novi impetus ; hinc remiſſiores evadunt habitus, quando detrahuntur gradus, ſeu facilitates partiales, ex facilitate totali. Rem igitur ſic concipe. Quando quidam actus producitur, ejus occaſione, modificatio quædam producitur à Deo in facultate agente, & hæc modificatio dicitur facilitas, dum poſteà producuntur aliæ facilitates, quæ prioribus adjunctæ, componunt facilitatem totalem intenſiorem, & ſic de ſubſequentibus actibus ſimilibus.

Dico, 2°. habitus intendi, occaſione actuum prioribus ſimilium, ſive ſint prioribus intenſiores, ſive ſint æquè intenſi, ſive ſint prioribus remiſſiores. Habitus enim intenditur, quando novæ producuntur facilitates, abſque priorum deſtructione : atqui dum exercentur actus mox deſignati, novæ producuntur facilitates abſque priorum detrimento. Quoties enim producuntur actus quidam, ſive intenſi, ſive remiſſi, toties adſunt cauſæ occaſionales, cur producantur facilitates prioribus ſimiles ; aliundè verò, nulla poteſt afferri cauſa occaſionalis deſtruc-

tionis veterum facilitatum similium; sicut gradus motus mobili jam translato applicati, secundùm priorem determinationem, non destruunt priores gradus, quamvis remissiores sint ipsis; proindeque, &c.

At, inquies, experientiâ constat, habitum jam comparatum deleri, dum exercentur actus prioribus remissiores; ergo habitus non intenduntur per actus prioribus remissiores.

Distinguo antecedens. Si interim producantur actus oppositi, concedo. Si nulli producantur actus oppositi, nego. Verbi gratiâ, dum producuntur actus remissi virtutis, & interim producuntur actus oppositi, seu actus mali; tunc paulatim deletur facilitas producendi actus bonos: at si nulli producantur actus oppositi, fieri non potest, ut deleatur habitus comparatus: quia nulla supponitur causa occasionalis, postulans destructionem illius modificationis.

Dico igitur, 3°. posito rerum ordine naturali, habitus non destrui, ob solam præcisè actuum cessationem. Modificationes enim alicui subjecto semel impressæ, de se in æternum perseverant, nisi adsit causa occasionalis ipsarum destructionis: verbi gratiâ, corpus semel motum, de se

ſemper movetur, & corpus quieſcens de ſe ſemper quieſcit: porrò, habitus ſunt modificationes facultatibus activis ſuperadditæ, ut conſtat ex dictis; aliundè verò, poſitâ ſolâ actuum ceſſatione, non intelligitur cauſa occaſionalis deſtructionis illarum modificationum, cùm hæc ceſſatio mera ſit abſentia.

Dico denique, habitus paulatim deſtrui, per exercitium actuum oppoſitorum. Cùm enim per horum actuum productionem excitentur in animâ facilitates, cum prioribus incompatibiles; neceſſe eſt, ut per exercitium ejuſmodi actuum, paulatim deſtruantur priores facilitates.

Quotuplex ſit habitus.

Habitus, ut jam dictum fuit, vel ſunt congeniti, vel acquiſiti; vel naturales, vel ſupernaturales; vel ſpirituales, vel corporei. Jam verò, ex ſpiritualibus, alii ſunt intellectuales, de quibus dictum fuit in Logicâ; alii verò pertinent ad voluntatem, & duplicis ſunt generis, virtutes & vitia, de quibus ſolis nunc eſt diſſerendum.

De virtute. Quid ſit & an ſit.

Virtutis nomen multis accipitur modis.

1°. Pro effectu, qui pendet à dispositione mechanicâ partium cujuslibet corporis: ut dum dicitur, *virtus magnetica*, *virtus plantarum*, &c. 2°. Pro quâcumque perfectione: quo sensu, pulchritudo & sanitas vocantur virtutes corporis humani. 3°. Pro actione miraculosâ: sic Apostoli dicuntur in nomine Christi, multas fecisse virtutes. 4°. Pro quolibet habitu laudabili: hoc sensu, scientia dicitur, virtus intellectualis. 5°. Denique, pro habitu voluntatis, inclinante ad actus moraliter bonos: hæc sola acceptio hujus est loci; unde dicitur, *virtus moralis*. Ubi notabis, non agi hîc de virtute morali, in ordine supernaturali; sed tantùm in ordine naturali spectatâ.

Virtus moralis, duplici modo definitur à Peripateticis. Primo modo sic. Habitus faciens hominem bonum simpliciter: secundo modo sic. Habitus consistens in mediocritate definitâ, quoad nos, judicio viri prudentis: posteriorem hanc definitionem sic explicant. Dicitur habitus: quia est qualitas difficilè mobilis à voluntate: dicitur consistens in mediocritate, id est, in statu, neque excedente, neque deficiente: dicitur definita quoad nos, judicio viri prudentis: quia mediocritas illa non est absoluta, sed relativa ad diversas

personas; hinc ejus approximatio, vel ad excessum, vel ad defectum, à viro prudente determinanda est.

Præterquam quòd ejusmodi definitiones sunt obscuræ, non satis explicant naturam virtutis, ut in se est; nec enim indicant, quis sit ille vir prudens, cujus judicio limites præscribantur mediocritati. Virtus igitur moralis clariùs & breviùs definiri debet, habitus honestatis electivus.

Occasione definitionum à Peripateticis propositarum, duo hîc inquiruntur à Philosophis. Primum, an habitus virtutis sit essentialiter bonus? Secundum, an omnis virtus sit in medio? Ut solvatur prior quæstio, sit,

Conclusio.

Habitus virtutis, est essentialiter bonus. Habitus enim essentialiter electivus honestatis, dici debet essentialiter bonus, ut per se patet: atqui, &c. Habitus enim per electiones honestatis acquisitus, est essentialiter electivus honestatis; habitus enim essentialiter inclinant ad actus similes iis, quorum occasione fuerunt producti: atqui habitus virtutis per electionem honestatis acquiruntur; comparantur enim per actus virtutis, qui totidem sunt

electiones honestatis; proindeque, &c.

Objectiones.

Objicies. 1°. Habitus, qui potest inclinare ad actus malos, non est essentialiter bonus: atqui habitus virtutis moralis inclinare potest ad actus moraliter malos. Supponatur enim Christianus aliquis, in quo sit habitus temperantiæ, qui posteà deficiat ad Mahumetismum. In hâc hypothesi, habitus temperantiæ hominem illum inclinabit ad actus temperantiæ, propter Mahumetem: at hi actus sunt moraliter mali; ergo habitus virtutis inclinare potest ad actus malos.

Nego minorem: & admissâ hypothesi, nego habitum temperantiæ inclinare ad jejunandum, propter Mahumetem. Nimirùm circà temperantiam, duplex distinguendus est habitus; corporeus, scilicet qui dicitur *famulans*; & spiritalis, qui dicitur *princeps*. Rursùs habitus princeps, duplex est subdistinguendus; scilicet habitus temperantiæ universim, seu acquisitus ex solo honestatis motivo, nullâ habitâ ratione finis externi; & habitus temperantiæ, propter finem externum acquisitus: verbi gratiâ, vel propter Christum, vel propter Mahumetem. His positis, in supradicto Apostatâ reperitur habitus tem-

perantiæ famulans: in ipſo pariter eſt habitus temperantiæ princeps, univerſim ſumptus; aliquandiu etiam in ipſo perſeverabit habitus jejunandi, propter Christum; ſed poſtremus hic habitus non eſt facilitas jejunandi propter Mahumetem; unde multoties jejunare debet propter Mahumetem, ut acquirat facilitatem, propter ipſum jejunandi; ita ut quâ proportione creſcet hæc facilitas, delenda ſit facilitas jejunandi, propter Chriſtum. Idem dicendum eſt de habitu juſtitiæ, reſpectu ejuſdem Apoſtatæ; nam in ipſo remanebit facilitas reddendi unicuique, quod ſuum eſt, ex motivo honeſtatis univerſim: in ipſo pariter tandiu remanebit habitus reddendi unicuique, quod ſuum eſt, propter Chriſtum, donec paulatim acquirat facilitatem reddendi unicuique, quod ſuum eſt, propter Mahumetem.

Objicies. 2°. Quod abſtrahit à motivo honeſtatis, non eſt eſſentialiter bonum moraliter: atqui habitus virtutis abſtrahit à motivo honeſtatis. Poteſt enim quis eſſe temperans, vel ex motivo honeſtatis, vel ex motivo avaritiæ, vel ex motivo vanæ gloriæ; ergo, &c.

Nego minorem. Si quis enim habeat temperantiæ habitum ex alio motivo, quàm ex honeſtatis motivo, jam reipsâ

virtutem non habet, ſed vitium: habitus quidem famulans temperantiæ, abſtrahit à motivo quovis; ſed non eſt virtus moralis.

Ut ſolvatur altera quæſtio, notandum eſt, 1°. medium duplex diſtingui poſſe, rei nimirùm & rationis. Medium rei dicitur illud, quod æqualiter diſtat ab extremis: tale eſt centrum circumferentiæ circuli. Medium rationis, aliter medium quoad nos, vocatur illud, quod neque excedit rectum rationis præſcriptum, neque ab eo deficit; unde medium hoc diverſum eſt pro diverſitate perſonarum & circumſtantiarum. Notandum, 2°. virtutem dici poſſe conſiſtere in medio, vel efficienter, ut aiunt, vel formaliter. Efficienter, dum inclinat ad actus rectæ rationi conformes; formaliter autem, ſi habitus ſit medius, inter duos alios vitioſos, quorum alter ſit per exceſſum, alter autem per defectum. His notatis, ſint,

Concluſio prima.

Habitus quilibet virtutis moralis, eſt in medio efficienter. Ille namque habitus dicitur eſſe in medio efficienter, qui inclinat ad actus, rectæ rationi conformes: atqui habitus quilibet virtutis moralis ſic

se habet, cùm sit essentialiter bonus; ergo, &c.

Conclusio secunda.

Medium, quod servat Justitia, est potiùs medium rei, quàm rationis. Medium enim quod idem est apud omnes, seu quod non pendet à personis & circumstantiis, censeri debet medium rei: atqui medium, quod servat Justitia, sic se habet. Nam, verbi gratiâ, si quis debeat centum nummos, totidem reddere tenetur, sive sit pauper, sive sit dives; sive debeat diviti, sive pauperi; & hos nummos sic reddere tenetur, ut si vel denarius desit, non omninò Justitiæ satisfecerit; proindeque, &c.

At, inquies, si medium, quod servat Justitia, foret idem apud omnes, non tandiu durarent lites.

Nego propositionem. Ideò namque durant lites: quia plerumque vix cognoscitur jus postulantis; unde opus est accurato examine, ad dignoscendum jus unius, & debitum alterius: ubi verò jus postulantis innotuit, facile est posteà unicuique jus suum tribuere.

Conclusio tertia.

Medium, quod cæteræ virtutes servare debent,

debent, eſt medium rationis. Medium enim inventu difficile, & pro perſonarum ac circumſtantiarum, diverſitate mutabile eſt, dici debet medium rationis: atqui medium, quod cæteræ virtutes ſervare debent, ſic ſe habet. Nam, verbi gratiâ, ut inveniatur medium in temperantiâ ſervandum, conſiderari debent ciborum qualitas, perſonæ temperamentum; & his cognitis, reſpectu unius perſonæ, opus eſt novo examine, reſpectu alterius; proindeque, &c.

At, inquies, ſi medium, quod ſervare debent cæteræ virtutes, eſſet medium rationis, virtus participaret de vitiis per exceſſum, & per defectum: abſurdum conſequens; ergo, &c.

Diſtinguo ſequelam. Virtus participaret de vitiis materialiter ſumptis, concedo: Formaliter ſumptis, nego. Reverâ, poſitâ noſtrâ ſententiâ, cæteræ virtutes aliquatenùs participarent de vitiis materialiter ſumptis: verbi gratiâ, prout vir liberalis dat, accedit ad prodigalitatem materialiter ſumptam; & prout retinet, accedit ad avaritiam materialiter ſumptam; ſed non idcircò cæteræ virtutes participarent de vitiis formaliter ſumptis, quaſi nimirùm adjunctam haberent malitiam moralem. Actus enim illarum virtutum nulla-

tenùs ſunt contrà rectæ rationis præſcriptum.

Quæres autem, an medium illud rationis ſit, ut aiunt, per participationem; an per excluſionem extremorum?

Reſpondeo, medium illud eſſe per participationem extremorum, ſi extrema ſpectentur, ratione materiæ; ipſum autem eſſe per excluſionem extremorum, ſi extrema ſpectentur formaliter, ſeu ratione malitiæ moralis.

Concluſio quarta.

Juſtitia non eſt in medio formaliter, id eſt, nemo per exceſſum peccare poteſt contrà Juſtitiam, ſed tantùm per defectum. Juſtitia namque, vel eſt commutativa, vel diſtributiva, vel vindicativa; atqui nulla harum ſpecierum habet vitium, per exceſſum ſibi oppoſitum. 1°. Non juſtitia commutativa; hæc enim ſpecies verſatur circà mutuum commercium: atqui in hâc ſpecie, nemo per exceſſum peccare poteſt. Qui enim, verbi gratiâ, centum nummos debet, vel pauciores, vel plures reddit: ſi pauciores, per defectum peccat, ut per ſe patet; ſi verò plures reddat, vel de ſuo, vel de alieno: ſi de ſuo, peccat forſan contrà liberalitatem; ſed non pec-

cat contrà justitiam, seu non detrahit de jure creditoris: si de alieno, peccat quidem contrà justitiam, non respectu illius, cui plus dat, sed respectu illius, cui eripit; & consequenter per defectum peccat. 2°. Non justitia distributiva: hæc enim species versatur circà distributiones, vel præmiorum, vel onerum publicorum: atqui contrà hanc justitiæ speciem, nemo peccare potest per excessum. Si enim agatur de præmiorum distributione, vel uni dat plusquam par est, vel minùs: si plus, ipsi non fit injuria, sed aliis, de quorum jure detrahitur; si minùs, eripitur de ejus jure; & consequenter peccatur per defectum: si agatur de onerum distributione, vel unus nimiùm oneratur, vel nimiùm sublevatur. Si primum, detrahitur de ejus jure; si secundum, non ipsi fit injuria, sed iis, de quorum jure detrahitur; ergo, &c. 3°. Non justitia vindicativa: hæc enim species versatur circà pœnas infligendas: atqui contrà hanc justitiæ speciem, nemo per excessum peccare potest. Vel enim leviores, vel graviores infliguntur pœnæ. Si leviores, non fit injuria reo, sed Reipublicæ, cujus jus postulat, ut graviores infligantur; si graviores, detrahitur de jure rei; adeòque per defectum peccatur; proindeque, &c.

Objectiones.

Objicies. 1°. Scriptura Sacra vetat excessum justitiæ, his verbis : *noli esse nimiùm justus* ; ergo, &c.

Respondeo, textum mox laudatum, intelligendum esse, vel eo sensu, quòd Judex non ita debeat esse severus, ut justitiæ specie, misericordiam omnem amoveat ; vel eo sensu, quòd nullus propter justitiam suam, fieri debeat superbus.

Objicies. 2°. Qui in materiâ virtutis alicujus excedit, contrà virtutem hanc peccat per excessum : atqui potest quis excedere in materiâ justitiæ, saltem vindicativæ. Pœnæ namque propter scelera infligendæ, haberi debent ut materia justitiæ vindicativæ : at Judex excedere potest in pœnis infligendis ; ergo, &c.

Distinguo majorem. Qui excedit in materiâ proximâ & directâ virtutis, concedo. In materiâ remotâ tantùm & indirectâ, nego. Porrò, pœnæ infligendæ, sunt tantùm materia remota & indirecta justitiæ vindicativæ. Materia namque proxima & directa hujus justitiæ speciei, est actio, quâ tùm reis, tùm Reipublicæ tribuitur, quod tùm ad reos, tùm ad Rempublicam pertinet.

Conclusio quinta.

Cæteræ virtutes morales & naturales, sunt in medio formaliter. Illæ namque virtutes dicuntur esse in medio formaliter, contrà quas peccari potest per excessum & per defectum : atqui contrà cæteras virtutes morales & merè naturales, peccari potest utroque illo modo. Cæteræ namque ejusmodi virtutes habent pro objecto mediocritatem, in passionibus servandam : atqui contrà mediocritatem hanc peccari potest, & excessu & defectu : sic, verbi gratiâ, fortitudo media est, temeritatem inter & ignaviam. Liberalitas media est, prodigalitatem inter & avaritiam, &c. proindeque, &c.

Objectiones.

Objicies. 1°. Si cæteræ virtutes essent inter duo vitia, natura dicenda esset noverca ; quandoquidem vitia virtutibus essent fortiora.

Nego sequelam. Tùm quia virtus duobus quidem vitiis, hinc & inde oppugnatur : at non ipsa sola, si quidem unum ex illis vitiis, opponitur alteri : verbi gratiâ, non sola liberalitas opponitur prodigalitati, sed etiam avaritia ipsi opponitur, non eo sensu, quòd liberalitas utatur ava-

ritiâ, ad debellandam prodigalitatem; ſed eo ſenſu, quòd animæ propenſio ad avaritiam, conjuncta cum liberalitate, poſſit inſervire ad prodigalitatem fugandam: tùm quia unicus ſufficit habitus, ad delendos multos habitus oppoſitos: nam, verbi gratiâ, ſolus habitus ſcientiæ, ad multos erroris habitus delendos ſufficit.

Objicies. 2°. Tot ſunt virtutes, quot ſunt vitia; ergo falſum eſt, cæteras virtutes reperiri inter duo vitia.

Eſto antecedens, nego conſequentiam. Quamvis enim tot eſſent virtutes, quot ſunt vitia; exindè non ſequeretur, virtutes non eſſe inter duo vitia; ſed ad ſummum ſequeretur, duas eſſe virtutes inter duo vitia. Dixi autem, *eſto*: quia nihil impedit, quominùs unica virtus reipsâ duobus vitiis opponatur.

Objicies denique. Nemo peccare poteſt per exceſſum, contrà charitatem; ergo cæteræ virtutes non ſunt in medio formaliter.

Diſtinguo antecedens. Contrà charitatem ſupernaturalem, concedo. Naturalem, nego. Reverâ, ſi agatur de charitate ſupernaturali, quæ præſertim habeat Deum pro objecto; evidens eſt, ipſam habere non poſſe vitium oppoſitum per exceſſum, quia nemo poteſt excedere in amore Dei:

ât charitas naturalis habere potest vitium oppositum per excessum, quia potest quis excedere in amore rerum creatarum.

Quæres autem, cur cæteræ virtutes sint potiùs inter duo vitia, quàm justitia ?

Respondeo, id oriri ex eo, quòd justitia respiciat jus alterius, quod per excessum violari nunquam potest; cæteræ verò virtutes respiciant mediocritatem, quæ per excessum & defectum violari potest.

Cur sit virtus.

Duo hîc inquiruntur à Philosophis. Primum, an virtus moralis à naturâ sit insita; an hæreditaria, an autem labore & exercitio comparata ? Secundum, in quânam facultate resideat virtus moralis ?

Quod attinet ad priorem quæstionem; dico, 1°. virtutem moralem non esse à naturâ insitam. Virtus enim est habitus: atqui, juxtà leges ordinarias, habitus comparari tantùm possunt frequenti similium actuum repetitione; proindeque, &c. Non diffiteor tamen quibusdam hominibus, à naturâ insitam esse propensionem quamdam & aptitudinem, ad virtutes morales, id est, nonnullos homines sortitos fuisse temperamenta, virtutibus comparandis idonea. Verùm hæc aptitudo non est ipsa virtus. Dico, 2°. virtutem

non esse hæreditariam : experientiâ namque constat, ex parentibus probis, liberos sceleratissimos plerumque nasci ; & vice versâ.

At, inquies, liberi habent jus hæreditarium in bona parentum ; ergo cùm virtus sit bonum quoddam, debet esse hæreditaria.

Distinguo antecedens. In bona parentum externa, & fortunæ, concedo. In bona interna, seu animæ, quales sunt virtutes & scientiæ, nego.

Dico, 3°. virtutes, sicut cæteros habitus naturales, labore & exercitio paulatim comparari : experientia namque docet, homines initio difficultatem pati, circà virtutum moralium exercitium ; posteà verò frequenti similium actuum repetitione, ipsos facilitatem quamdam in iis exercendis experiri.

Quod attinet ad posteriorem quæstionem : Thomistæ docent, fortitudinem & temperantiam, residere in appetitu sensitivo ; cæteri verò Philosophi contendunt, omnes virtutes morales propriè dictas, pertinere ad voluntatem.

Conclusio.

Virtutes omnes morales propriè dictæ, resident in solâ voluntate. Habitus enim

essentialiter electivi honestatis, residere possunt in solâ facultate electivâ, & honestatis capace: atqui omnis virtus moralis propriè dicta, est habitus essentialiter electivus honestatis; ut patet ex ejus definitione, vel à Thomistis receptâ; aliundè verò, sola voluntas utpotè sola, propriè loquendo, libera, capax est eligendi, fatentibus iisdem Thomistis: & tandem sola voluntas; est honestatis moralis capax; quandoquidem est objectum insensile, & appetitus sensitivus versari tantùm potest circà sensilia; proindeque, &c.

Et certè virtutes, quæ comparari possunt, appetitu sensitivo reluctante, non possunt in ipso residere: atqui fortitudo & temperantia comparari possunt, reluctante appetitu sensitivo; ut constare debet ex eo, quòd nonnulli contrà partis inferioris propensionem, pericula fortiter subeant pro religione & patriâ; & quidam alii voluptatibus omnibus sensilibus nuntium perpetuum remittant; proindeque, &c.

Denique, quoniam in principiis Thomistarum, voluntas & appetitus sensitivus positivè non distinguntur, propugnare non debent fortitudinem & temperantiam in voluntate non residere, si resideant in appetitu sensitivo.

Objectiones.

Objicies. 1°. Virtus resîdet in eâ facultate, quam dirigit: atqui fortitudo & temperantia dirigunt appetitum sensitivum, si quidem passiones ejus moderantur; ergo, &c.

Distinguo majorem. In eâ facultate, quam proximè & immediatè dirigit, concedo. Mediatè tantùm, nego. Reverâ, fortitudo & temperantia dirigunt appetitum sensitivum; sed mediante voluntate, quæ ita se gerere debet, ut appetitui sensitivo ritè possit imperare.

Instabis. Fortitudo & temperantia dirigunt immediatè potentiam illam, quæ sola patitur difficultatem, circà virtutum illarum exercitium: atqui solus appetitus sensitivus difficultatem patitur, circà actus fortitudinis & temperantiæ. Difficultas enim fortitudinis consistit potissimùm in periculis adeundis, & difficultas temperantiæ posita est in moderandis voluptatibus gustûs & tactûs; ergo, &c.

Nego minorem. Quoties enim appetitus sensitivus fit rebellis, toties voluntas difficultatem patitur in hâc facultate moderandâ: at appetitus sensitivus sæpè rebellis est contrà voluntatem; ut per sensum intimum constat. Ad probationem autem,

respondeo; difficultatem, quæ occurrit in virtutum illarum exercitio, oriri præsertim ex honestatis motivo, non autem ex materiâ, circà quam virtutes illæ versantur.

Objicies. 2°. Si quæ ratio probaret, appetitum sensitivum non esse virtutis propriè dictæ capacem, maximè quia non est electionis capax: atqui hæc ratio nulla est. Non minùs enim cognitio requiritur ad virtutem, quàm electio: porrò, licet voluntas non sit cognitionis capax, est tamen virtutis propriè dictæ capax; ergo licet appetitus sensitivus non sit electionis capax, est tamen virtutis propriè dictæ capax.

Nego minorem, & ad probationem nego majorem. Disparitas est, quia cognitio, est solummodò conditio prærequisita ad virtutem: at electio est de essentiâ virtutis.

Qualis sit virtus.

Tres potissimùm numerantur virtutis moralis proprietates, nempè status, connexio & æqualitas, aut inæqualitas.

Quod attinet ad statum virtutis, notandum est, triplicem vulgò distingui, continentiæ, temperantiæ & heroïcum. Statum continentiæ dicunt eum, in quo

homo crebras & vehementes patitur commotiones, versùs malum, quibus tamen resistit, sed magnâ cum difficultate: hic status eorum est, qui comparatis habitibus vitiosis, incipiunt posteà ad meliorem frugem se recipere. Statum temperantiæ dicunt eum, in quo homo quasdam adhuc experitur commotiones versùs malum, sed minùs frequentes, minùsque vehementes: hic status eorum est, in quibus virtutis habitus notabiliter est intensus. Statum denique heroïcum, vocant eum, in quo homo manet inconcussus in virtutis exercitio; ita ut nullos ampliùs patiatur rebelles partis inferioris motus: hic status est perfectorum.

Hæc statûs distributio non est accurata. Status enim heroïcus dictus, qualis describitur, fictitius est & impossibilis in hâc vitâ. Pars inferior semper est rebellis contrà superiorem, ut ipsemet Apostolus experiebatur.

Quod attinet ad virtutum moralium connexionem, quæritur hîc, an virtus aliqua moralis obtineri possit absque cæterarum consortio, an autem virtutes sint inter se necessariò connexæ? Ut solvatur hæc quæstio,

Notandum est, nonnullas virtutes ad quemlibet vitæ statum pertinere; unde

dicuntur, modò *communes*, modò *cardinales*; quasdam autem certo vitæ statui proprias esse. Hoc notato,

Certum est, 1°. virtutem aliquam obtineri posse sine iis virtutibus, quæ pertinent ad oppositum vitæ statum, præsertim si virtutes illæ spectentur, quantùm ad exercitium.

Certum est, 2°. unam virtutem acquiri posse in gradu parùm intenso, sine cæteris virtutibus, ad eundem vitæ statum pertinentibus: nam, verbi gratiâ, potest quis esse justus in gradu parùm intenso, absque eo, quòd sit temperans.

Superest igitur difficultas, circà connexionem virtutum, ad eundem vitæ statum pertinentium, si supponantur in gradu notabiliter intenso.

Conclusio.

Nulla virtus obtineri potest in gradu notabiliter intenso, sine consortio cæterarum, ad eundem vitæ statum pertinentium, & quarum officia simul reperiri possint. Ut enim quis habeat virtutem in gradu notabiliter intenso, sic esse debet affectus inter agendum, ut exortâ quâcumque tentatione, vix ab agendo deterreatur: atqui nemo potest esse sic affectus, quin acquisierit virtutes, quarum

officia reperiri possunt cum officio virtutis illius, quæ supponitur in gradu notabiliter intenso: nam, verbi gratiâ, nisi Judex sit liberalis, muneribus corrumpi poterit; nisi sit temperans, voluptatum illecebris flectetur; nisi sit fortis, minis intentatis terrebitur; nisi sit humilis, adulationibus facilè titillabitur, & sic de aliis; proindeque, &c.

Objectiones.

Objicies. 1°. Una virtus intelllectualis comparari potest absque cæterarum consortio; ergo à pari virtus aliqua moralis, absque cæterarum consortio, comparari potest.

1°. Nego antecedens. Si enim agatur de virtute intellectuali, seu scientiâ notabiliter intensâ, contendo, ipsam existere non posse, sine multarum aliarum consortio; ut patet de Physicâ.

2°. Nego consequentiam. Disparitas est, quia quarumdam virtutum intellectualium objecta & officia plerumque non sunt inter se connexa: at virtutum moralium objecta & officia ferè semper concurrunt in virtutis alicujus exercitio.

Objicies. 2°. Haberi potest vitium aliquod in gradu notabiliter intenso, sine

cæteris vitiis; ergo idem dicendum est de virtutibus.

Nego consequentiam. Disparitas est, quia vitia plerumque sese destruunt, cùm sint extrema opposita: at virtutes ad eundem vitæ statum pertinentes, sese mutuò juvant, ac fovent.

Quod attinet ad æqualitatem, aut inæqualitatem virtutum moralium, observandum est, inæqualitatem distingui posse duplicem, essentialem & accidentalem. Essentialis consistit in eo, quòd una virtutis species perfectior sit & nobilior alterâ; accidentalis verò, in eo quòd, intrà speciem eandem, una virtus sit intensior in uno homine, quàm in altero. Hoc notato,

Dico, 1°. dari inæqualitatem essentialem, inter virtutes morales. Virtus enim specificatur ab objecto & motivo: at ex objectis & motivis virtutum moralium, alia aliis sunt essentialiter perfectiora & nobiliora; nam, verbi gratiâ, objectum & motivum fortitudinis, nobiliora sunt objecto & motivo temperantiæ; nobilius enim est & perfectius, vitam amittere pro religione, quàm sese abstinere à voluptatibus sensilibus; proindeque, &c.

Dico, 2°. inæqualitatem accidentalem reperiri posse inter virtutes morales. Tùm

quia habitus omnes naturales intensionis & remissionis, sunt capaces. Tùm quia constat experientiâ, ex viris fortibus alios, aliis fortiùs se gerere.

Quotuplex sit virtus?

Virtutes morales generatim loquendo, duplicis sunt generis, cardinales & subordinatæ. Cardinales sic dictæ, quia sunt velut cardines, quibus tota vita moralis vertitur, describi possunt virtutes cuilibet vitæ statui communes. Subordinatæ, dicuntur illæ, quæ revocantur ad cardinales.

Virtutes cardinales numerantur quatuor, prudentia, justitia, fortitudo & temperantia. Hæc distributio sic suaderi solet. Omnis virtus moralis communis, vel dictitat quid sit agendum, aut fugiendum, vel sequitur mediocritatem à rectâ ratione præscriptam. Si primum, est prudentia. Si secundum, vel mediocritas illa respicit aliam personam, & est justitia; vel respicit ipsum operantem, & tunc aut versatur circà moderandas passiones appetitûs sensitivi irascentis, & est fortitudo; vel circà moderandas passiones appetitûs sensitivi concupiscentis, & est temperantia.

Virtutes subordinatæ vocari solent vir-

tutum cardinalium partes ; & triplicis generis distinguntur, subjectivæ, integrantes & potestativæ. Partes subjectivæ, nihil aliud sunt, præter varias species virtutis cujuslibet cardinalis. Partes integrantes, sunt virtutes quædam ad perfectum singularum virtutum cardinalium exercitium requisitæ. Denique, partes potestativæ, seu potentiales, sunt virtutes quædam, quæ proximè accedunt ad virtutum cardinalium naturam ; & consequenter eandem habent potestatem. Agendo de singulis virtutibus cardinalibus, omnes ejusmodi partes enumerabimus.

De prudentiâ.

Prudentiæ nomen multis accipitur modis. 1°. Pro motibus illis corporeis, qui concomitari solent veram prudentiam in hominibus : hoc sensu, serpentes & formicæ nonnunquam vocantur *prudentes*. 2°. Pro sagacitate quâdam innatâ : quo sensu, ex infantibus alii, aliis prudentiores dicuntur. 3°. Pro facilitate judicandi de agendis, aut fugiendis in ordine morali ; quo sensu, prudentia dicta fuit species virtutis intellectualis. 4°. Denique, pro facilitate eligendi media, obtinendo fini honesto accommodata. Prudentia, ut est virtus moralis, hoc postremo sensu

accipitur, ita tamen ut prudentiam intellectualem ſemper habeat adjunctam.

Partes ſubjectivæ prudentiæ, ſeu ipſius ſpecies numerantur tres, ſcilicet monaſtica, œconomica & politica, quarum definitiones traditæ ſunt. His addunt nonnulli nomoteticam, ſeu legiſlativam, tùm civilem, tùm militarem. Nomotetica civilis, eſt recta Legiſlatoris ratio, in ferendis legibus, ad bonum publicum conducentibus; militaris autem, eſt recta ratio Principis, aut Ducis, in eligendis mediis, ad rectum exercitûs regimen idoneis.

Partes integrantes prudentiæ, numerantur octo, memoria, intelligentia, docilitas, ſolertia, ratio, providentia, circumſpectio & cautio. Memoria, ut hîc accipitur, eſt præteritorum obſervatio, in ordine ad rectè judicandum de agendis, aut fugiendis. Intelligentia, ut hîc accipitur, eſt diligens præſentium conſideratio, ut benè agatur. Docilitas, eſt facilitas audiendi & perpendendi cæterorum hominum ſententias, monita & conſilia, ex intenſione benè agendi. Solertia, eſt facilitas excogitandi media, obtinendo fini idonea. Ratio, ut hîc accipitur, eſt facilitas ritè diſcurrendi de agendis. Circumſpectio, eſt matura circumſtantiarum

omnium consideratio, ne quid ex hâc, vel illâ parte deficiat. Cautio, est sollicitudo circà vitanda incommoda, quibus opus susceptum prævidetur obnoxium. Providentia, est facilitas occurrendi omnibus incommodis, de quibus per cautionem solliciti fuimus.

Partes potestativæ prudentiæ numerantur tres, eubulia, synesis & gnome. Eubulia, seu consultatio, est recta mediorum conquisitio. Synesis, seu sagacitas, est facilitas rectè judicandi de mediis. Gnome, est facilitas rectè judicandi in casibus extraordinariis, seu ad quos non pertinent communes morum regulæ.

Do justitiâ.

Justitia definitur ab Imperatore Justiniano, constans & perpetua voluntas, jus suum cuique tribuendi: quam definitionem admittunt omnes Philosophi & Theologi. Nomine constantis & perpetuæ voluntatis, intelligi debet, non ipsa facultas, sed facultatis habitus; nomine verò juris, intelligi debet quidquid pertinet ad aliquam personam.

Ut natura justitiæ fusiùs evolvatur, quatuor hîc examinabimus. 1°. Ejus objectum. 2°. Ipsius subjectum. 3°. Varias ejus partes. 4°. Ipsius officia, seu actus.

De objecto justitiæ.

Proximum justitiæ objectum, strictè loquendo, est actio, & proprio debito & alterius juri conformanda. Debiti autem nomine, hîc intelligitur, non quod ex merâ honestate, sed quod strictè debetur.

Circà hanc actionem, tria sunt distinguenda, jus alterius, seu dominium, persona, quæ habet jus, & bonum ad quod habet jus.

Juris nomen multis accipitur modis diversis. 1°. Pro legibus: quo sensu, legum cognitio dicitur *Jurisprudentia*, aut Juris scientia. 2°. Pro justo, hoc est, pro actione, tùm proprio debito, tùm alieno dominio conformi. 3°. Pro potestate legitimâ, quâ quis rem aliquam habet sibi devinctam. 4°. Pro potestatis illius objecto.

Jus multis aliis modis à juris peritis distribuitur: sufficiat ipsum hic generatim distribuere in objectivum & formale. Jus objectivum, est ipsum objectum, in quod quis legitimam habet potestatem; formale verò, est legitima potestas in objectum aliquod.

Jus formale multis modis subdistribuitur. 1°. In naturale & positivum. Jus naturale, dicitur illud, quod populis omnibus com-

petit; quale est jus aquam hauriendi è flumini communi; positivum autem, quod positivè, seu per scriptum conceditur: & iterùm subdistribuitur in Divinum & Humanum, ita ut Humanum sit, vel Ecclesiasticum, vel Civile, de quibus dicetur, ubi de legibus. 2°. In activum, passivum & prohibitivum Activum, ad aliquid agendum: ut jus vendendi, commutandi, &c. Passivum, ad aliquid recipiendum: ut jus legatum à Testatore recipiendi, Prohibitivum, ad aliquid impediendum; verbi gratiâ, ne quis segetes conculcet, ne luminibus officiat, &c. 3°. In particulare, altum & infimum. Particulare, aut potiùs singulare, est alicujus privati potestas, in fortunas suas. Altum, est Principis, aut Reipublicæ potestas, in civium bona. Infimum, est privatorum potestas, ad præmia dignitates, cæteraque bona publica, pro suis in Rempublicam officiis obtinenda. 4°. In jus in re, & jus ad rem. Jus in re, quod etiam dicitur directum, est potestas in ipsam rem possessam; qualis est potestas hominis, in agrum legitimè possessum. Jus ad rem, quod etiam dicitur indirectum, est potestas non in rem ipsam, sed in aliquid cum illâ re connexum: ut si quis fructus agri sui futuros mihi vendidisset.

Jus in re ſubdividitur in perfectum & imperfectum. Jus perfectum, eſt plena poteſtas diſponendi de re aliquâ poſſeſſâ, tanquam ſuâ; imperfectum verò, dicitur illud, quod minus eſt jure perfecto, quale eſt jus creditoris in pignus.

His diſtributionibus præmiſſis, multa hîc inquiri ſolent, circà objectum dominii humani.

Quæres igitur, 1°. an omnia corpora ſublunaria ſubjici poſſint dominio humano?

Reſpondeo affirmativè. Tùm quia Geneſeos capite decimo, homo dicitur creatus, qui præſit piſcibus maris, & volatilibus cœli; tùm quia Patres & Doctores id docent, rationemque repetunt, ex hominis dignitate & excellentiâ. Ubi tamen notabis, reſponſionem non eſſe ſic intelligendam, quaſi omnia à ſingulis hominibus poſſideri poſſint; ſed eo tantùm ſenſu, quòd nihil ſit ſublunare, quod non poſſit hominis dominio ſubjacere.

Quæres, 2°. an homo dominium habere poſſit in alterum hominem, ita ut poſſit eum vendere, donare, &c?

Reſpondeo affirmativè. Tùm quia Scriptura Sacra multa paſſim ſtatuit, circà ſervos, variaque ſervitutum genera; tùm quia multi ſunt legitimi ſervorum acqui-

rendorum tituli, ſicut oſtendetur poſteà. Tùm denique, quia praxis ſervitutum apud populos omnes fuit recepta, & quidem juxtà legem naturalem; quia nempè naturalius eſt varios in uſus ſervare homines, qui jure belli poterant interfici. Nota porrò, apud Chriſtianos varia ſervitutum genera obſolevisse: omnes enim Chriſtiani ſunt fratres, utpotè ejuſdem beatitudinis cohæredes.

Dices. Dominus non poterat ſervos ſuos interficere; ergo non habebat plenum dominium in ſervos.

Nego conſequentiam. Exindè namque ſolummodò ſequitur, dominium illud authoritate publicâ fuiſſe reſtrictum, tùm ob dignitatem hominis univerſim, tùm quia Reipublicæ intereſt, ne quis re ſuâ malè utatur.

Quæres, 3°. an homo ſit dominus vitæ ſuæ, ſuorumque membrorum?

Reſpondeo negativè. Homo quippè ſolummodò cuſtos eſt vitæ ſuæ, membrorumque ſuorum gubernator. Ratio eſt, tùm quia abſolutum dominium in vitam hominis, ſoli Deo convenit: tùm quia fundamentum humani dominii, utpotè antecedens, cadere non poteſt in dominium humanum: at vita cenſeri debet omnis humani dominii fundamentum,

ut per ſe patet; proindeque, &c.

Dices. Qui vel occiditur, vel mutilatur à privato, patitur injuriam; ergo ſignum eſt, ipſum habere jus in vitam, & membra ſua.

Diſtinguo conſequens. Habere jus in vitam & membra conſervanda, atque etiam jus prohibitivum, concedo. Jus abſolutum, quod ſit dominium perfectum, nego.

At, inquies, unuſquiſque poteſt membrum aliquod amputare, ne cæteris partibus noceat; ergo habet abſolutum in membra ſua dominium.

Nego conſequentiam. Ad hoc enim ſufficit ſola vitæ cuſtodia, juxtà quam pars negligi debet, ut conſulatur toti: quemadmodùm licet Princeps, aut Reſpublica abſolutum non habeat dominium in vitam ſubditorum, poteſt tamen malefactorum necem jubere, ut totius Reipublicæ ſaluti conſulat.

Quæres denique, an homo famæ ſuæ ſit dominus?

Ut reſpondeam, notandum eſt, famam duplicis generis diſtingui; intrinſecam, quæ fundatur in qualitatibus intrinſecis perſonæ; & extrinſecam, quæ fundatur in cæterorum hominum judiciis. Hoc notato,

Reſpondeo,

Respondeo, 1°. famam intrinsecam subjacere hominis dominio: tùm quia pendet à libertate hominis, ut virtutes & vitia comparet: tùm quia licitum est homini seipsum diffamare, ad reparandam scilicet alterius famam, à se injustè læsam.

Respondeo, 2°. hominem, non esse dominum famæ suæ extrinsecæ: quia cæterorum hominum judicia non sunt in ejus potestate.

De subjecto justitiæ.

Non agitur hîc de subjecto proximo justitiæ: probavimus enim, virtutem moralem in solâ voluntate residere posse; sed agitur de ipsius subjecto remoto, seu de personâ: & duo hîc inquiruntur. Primum, an infantes, amentes, peccatores, & infideles, habere possint dominium propriè dictum? Secundum, intrà quasnam personas reperiri possit justitia strictè dicta?

Quod attinet ad priorem quæstionem: dico, 1°. infantes & amentes habere dominium propriè dictum: quia nempè habent dominii principium, scilicet animam rationalem; nec refert, quòd non possint vendere, donare, &c. Per accidens enim id præstare non possunt, ex eo nempè, quòd careant rationis usu. Dico, 2°. peccatores & infideles, esse dominii propriè

dicti capaces: quia nempè dominium non fundatur, sive in bonitate morali, sive in fide & charitate Christianâ, sed in ipsâ hominis naturâ.

Colliges, licitum non esse, usurpare bona infantium, amentium, peccatorum & infidelium; adeòque eos omnes, qui talia bona usurpant, ad restitutionem teneri, nisi tamen sermo sit de bonis in bello justo conquisitis.

Quod attinet ad alteram quæstionem, notandum est, ad justitiam strictè sumptam, requiri debitum ex parte unius, & jus ex parte alterius; adeòque moralem requiri personarum distinctionem. Hoc notato,

Dico, 1°. non esse justitiam strictè sumptam, entia creata inter & Deum, quasi nempè entia creata habeant jus, & Deus sit debitor. Tùm quia Deus pro suo supremo dominio, potest entia quævis creata, vel conservare, vel non conservare, absque injuriâ entibus creatis illatâ. Tùm quia, quidquid possidet ens creatum, illud à Deo gratis recepit.

At, inquies, quando Deus aliquid promisit, promissum implere tenetur; ergo quædam obligatio, supremo Dei dominio nullatenùs adversatur.

Distinguo antecedens. Ex fidelitate,

concedo. Ex justitiâ strictè sumptâ, nego. Obligatio quidem ex fidelitate, nullatenùs Deo repugnat; sed obligatio ex justitiâ strictè sumptâ, nunquam potest ipsi convenire: quia fieri nunquam potest, ut Deus sit debitor erga entia creata.

Dico, 2°. reperiri justitiam strictè sumptam, Deum inter & entia creata; eo nempè sensu, quòd Deus habeat jus in omnia entia creata, & omnes substantiæ creatæ sint debitores Dei; ut per se manifestum est.

Dico, 3°. patrem inter & filium, Dominum inter & servum, non esse justitiam strictè sumptam, si personæ illæ spectentur ut tales. Ratio est, quia filius ut filius, non habet jus distinctum à jure patris; unde sub hoc respectu, pater & filius pro unicâ personâ habentur in jure civili. Prætereà, servus ut servus, inter Domini bona numeratur.

Dico, 4°. patrem inter & filium, Dominum inter & servum, reperiri posse justitiam strictè dictam, si tales personæ spectentur absolutè, seu ut homines. Ratio prioris partis est: quia filius, ut homo, potest habere jus distinctum à jure patris, nimirùm potest habere jus, tùm in bona castrensia, seu bello parta; tùm in bona quasi castrensia, hoc est, aliundè prove-

nientia, quàm ex hæreditate paternâ; unde, vel invito patre, de ejusmodi bonis disponere potest, & sub hoc respectu, dicitur persona, à patre materialiter distincta. Ratio posterioris partis est: quia servus, ut homo, potest habere jus in peculium, id est, in ea bona, quæ fuerunt ipsi à Domino in actionum quarumdam præmium concessa; unde sub hoc respectu, cum Domino ritè contendere potest.

De partibus justitiæ.

Partes integrantes justitiæ, duæ numerantur à Divo Thoma, declinare à malo, & facere bonum, id est, nullius jura lædere, & uniuscujusque juri satisfacere.

Partes subjectivæ justitiæ, seu ejus species, duæ pariter numerantur; nimirùm justitia generalis & justitia particularis. Generalis respicit Reipublicæ jura, quibus singuli privati satisfacere tenentur. Particularis respicit privatorum jura, subdistribuiturque in commutativam & distributivam; ita ut ad distributivam referri possit vindicativa.

Partes potestativæ justitiæ, plures à nonnullis, pauciores ab aliis numerantur: hæ autem sunt præcipuæ. Prima, est charitas, per quam homo benè afficitur, tùm erga

Deum, tùm erga proximum. Secunda, est religio; quâ cultus debitus exhibetur Deo. Tertia, pietas, quâ debito honore, debitâque observantiâ & benevolentiâ, prosequimur sanguine nobis conjunctos. Quarta, observantia, quâ dignitate præcellentes, cultu quodam veneramur. Quinta, obedientia, quâ inclinamur ad servanda præcepta, quibus legitimè subjicimur. Sexta, gratitudo, quâ in beneficiis præstandis, par pari referre studemus. Septima, veracitas, quâ homo tenetur loqui prout cogitat, seu tenetur mendacium vitare. Octava, liberalitas, quæ cohibet avaritiam, & moderatur sumptus & munera. Nona, affabilitas, quâ homo, quantùm decet, facilem se præbet in communi consuetudine: huic affines sunt urbanitas, quæ jocis modum imponit; & comitas, quæ servat mediocritatem in laudandis, aut vituperandis aliorum factis. Decima, clementia, quâ vel Princeps, vel Respublica, nonnulla remittit de pœnis debitis; vel succurrit damno, sive emergenti, sive emergendo. Undecima, misericordia, per quam inclinamur ad alterius miseriæ subveniendum. Duodecima, amicitia, quæ triplici modo contrahi posse vulgò creditur, 1°. propter utilitatem, ut inter mercatores.

2°. Propter jucunditatem, ut inter juvenes. 3°. Propter honeſtatem, ut inter viros probos. Sola amicitia ex motivo honeſto contracta, vocari poteſt virtus moralis; & hoc ſenſu, definiri ſolet mutua benevolentia, orta ex cognitione probitatis, non latens & confirmata. Dicitur mutua benevolentia: tùm quia per amicitiam debemus amicis optare vera bona: tùm quia, niſi ſe teneret ex utrâque parte, vocaretur amor. Dicitur orta ex cognitione probitatis: quia, ut diximus, illa ſola amicitia virtutis nomen meretur, quæ nititur honeſtatis motivo. Dicitur non latens: quia tunc tantùm amor vocatur amicitia, quando utrinque cognoſcitur ſe amari. Dicitur tandem confirmata: quia ad amicitiam requiritur habitus notabiliter intenſus.

De actibus juſtitiæ.

Non agitur hîc, ſive de contractibus, ſive de munerum, aut onerum publicorum diſtributione; ſed de eo ſolo actu, quo Judex authoritate publicâ præditus, juſtum decernit. Circà hunc actum, quatuor hîc inquiruntur. Primum, an requiratur æquitas in hoc actu, ut Judicis ſententia privatos obliget? Secundum, an Judex abſolvere debeat eum, quem pri-

vatâ suâ notitiâ cognoscit nocentem? Tertium, an Judex capite plectere possit reum, quem privatâ suâ notitiâ novit innocentem, qui tamen secundùm allegata & probata criminis juridicè convincitur? Quartum, quænam servanda sit proportio, in judiciis ferendis?

Quod attinet ad primam quæstionem: dico, 1°. æquitatem requiri, in sententiâ à Judice latâ, ut obliget in foro interno, seu in conscientiâ: quia nemo tenetur adhærere iniquitati. Dico, 2°. sententiam Judicis, vel injustè latam, obligare in foro externo, seu per ordinem ad alios homines: quia nunquam aliter terminarentur lites. Quilibet enim facilè præsumeret, sententiam contrà se latam, esse injustam. Verùm à tali sententiâ permittitur provocatio, ad tribunal superius. Dico, 3°. sententiam Judicis, cujus æquitas apparet dubia, obligare vel in foro interno: quia nemo sententiæ Judicis acquiesceret, & exindè gravissima nascerentur in societate civili incommoda.

Quod attinet ad secundam quæstionem, respondeo, Judicem posse & debere absolvere reum, qui criminis non sufficienter, seu non juridicè convincitur, quantumvis per privatam suam notitiam certus sit, ipsum esse nocentem. Judex enim de-

bet eum absolvere, cujus condemnandi potestatem non habet: atqui Judex hoc in casu, non habet potestatem reum condemnandi. Judex enim non aliam habet potestatem, quàm publicam, seu vel à Principe, vel à Republicâ concessam. Cùm igitur reus, ex hypothesi, juridicè, seu publicè non convincatur criminis, Judici non competit potestas ipsum condemnandi; nec enim Judex agit, ut persona privata, sed ut persona publica; proindèque, &c.

Dices. Non licet mentiri: atqui si Judex, in supradicto casu, reum absolveret, mentiretur; eum quippe pronuntiaret innocentem, quem certò sciret, esse nocentem; adeòque contrà mentem iret.

Nego minorem, ejusque probationem. Judex enim non pronuntiat, reum illum esse reipsâ innocentem; sed ipsum non esse criminis juridicè convictum: quod ex hypothesi, verum est.

Ut solvatur tertia quæstio, nota 1°. duplicem distinguendam esse cognitionem in Judice, privatam & publicam. Privatam comparat, per propriam suam experientiam; publicam autem acquirit per testes, scripta, cæteraque instrumenta publica. Nota, 2°. Judicem considerari posse, vel ut personam privatam, vel ut

personam publicam. Consideratur ut persona privata, quando agit authoritate sibi propriâ; consideratur autem ut persona publica, quando agit ex authoritate sibi, vel à Republicâ, vel à Principe demandatâ. Nota, 3°. in hujus quæstionis hypothesi, Judicem supponi diligentiam omnem adhibuisse, ut reum liberaret, sive ex parte accusantium, eos privatim monendo, atque etiam eis asserendo, innocentiam rei; sive etiam ex parte accusati, permittendo scilicet, ut fugiat, si id fieri possit absque scandalo; sive ex parte causæ, eam nimirùm protrahendo, vel etiam ad superiorem Judicem remittendo, si spes affulgeat liberationis futuræ. Quod si post adhibitam omnem diligentiam, Judex sententiam ferre teneatur, sit,

Conclusio.

Judex potest & debet judicare, secundùm allegata & probata, vel in causâ capitali, contrà privatam suam cognitionem. Persona namque publica, judicans ut publica, secundùm scientiam publicam, id est, secundùm allegata & probata, judicare tenetur; debet enim judicare, sicut judicaret, vel Princeps, vel Respublica, quandoquidem est alterutrius

organum: atqui Judex, est persona publica, judicans ut publica, sicut per se patet; aliundè verò Princeps, aut Respublica, judicaret secundùm scientiam publicam; ergo Judex judicare tenetur, secundùm allegata & probata; proindèque, &c.

Et certè, nisi Judex judicare tenetur, secundùm allegata & probata, non satis consultum fuisset ipsius conscientiæ, securitati & famæ, nec etiam Reipublicæ tranquillitati. 1°. Non ipsius conscientiæ: quia semper timeret, ne culpâ suâ sufficientem non haberet notitiam privatam innocentiæ rei, seu accusati. Non ipsius securitati: quia malevoli possent aliquem reipsâ innocentem accusare, eo consilio, ut Judicem abire magistratu cogerent. Non ipsius famæ: quia alioqui unusquisque facilè crederet, Judicem pecuniâ, aut alio quovis injustitiæ motivo, fuisse corruptum. 4°. denique. Non Reipublicæ tranquillitati: tùm quia, si quis juridicè convictus, ut nocens, nihilominùs pronuntiaretur innocens; exindè nasci posset in populo seditio, quia cædibus & rapinis via aperiretur; improbi namque putarent, Judicem fuisse corruptum, adeòque ipsum simili modo posteà corrumpi posse; proindeque, &c.

Objectiones.

Objicies. 1°. Exodi capite 23°. ſic legitur: *Non audies vocem mendacii, nec in judicio plurimorum ſententiæ acquieſces, ut à recto devies:* atqui ſi Judex contrà propriam ſuam notitiam judicaret, audiret vocem mendacii, & multorum ſententiæ acquieſceret, ut à recto deviaret; ergo, &c.

Explico textum laudatum. Si mendacium juridicè detegi poſſit, & per ſcientiam publicam cognoſci, ut mendacium, concedo. Secùs, nego. Porrò, ex hypotheſi, Judex mendacium juridicè detegere non poteſt, nec rectum cognoſci poteſt per ſcientiam publicam, juxtà quam tamen ſolam, Judex tenetur judicare.

Objicies 2°. Non licet interficere innocentem: atqui, &c. ergo, &c.

Tranſeat major, nego minorem. Non enim ipſe Judex, ſed Reſpublica capite plectit juridicè criminis convictos. Dixi autem, *tranſeat:* tùm quia in bello juſto, nonnunquam interficere licet multos innocentes: verbi gratiâ, infantes, ſicut legitur in veteri Teſtamento: tùm quia, ſi quis amens te inſequeretur ad necem, eum interficere tibi liceret, dummodò vitam tuam nullo alio modo ſervare poſſes.

Instabis. Ex præcedentibus responsionibus sequeretur, excusandum esse Pilatum: Christum enim Dominum condemnavit, secundùm allegata & probata.

Nego sequelam. Tùm quia noverat Pilatus, publicam probationem esse insufficientem, ut ipse fassus est, his verbis: *Nullam in eo invenio causam.* Tùm quia accusantium testimonia non erant inter se consentia. Tùm denique, quia ob metum Cæsaris, à legitimâ judiciorum formâ recessit.

Objicies. 3°. Si Judex sic judicare posset, innocentium securitati non satis esset consultum: si quidem per hominum malitiam, insontes capite plecti possent.

Nego sequelam. Dum enim Judex judicat secundùm allegata & probata, consulitur, quantùm id fieri potest, innocentium securitati; ut constare debet ex eo quòd, si Judex secundùm privatam suam notitiam judicaret, longè plura & majora nascerentur incommoda.

Objicies. 4°. afferendo quædam exempla. Primum sic se habet. Si Judex privatâ suâ notitiâ certò sciret, se nullam habere legitimam authoritatem, neminem condemnare posset, quamvis juridicè probaretur, hâc authoritate præditus. Secundum, si Judex certò cognosceret privatâ

suâ scientiâ, legis alicujus iniquitatem, neminem secundùm legem hanc condemnare posset, quantumvis lex illa publicè probaretur justa. Tertium, si quis notitiâ privatâ certò sciret, mulierem aliquam non esse uxorem suam, non posset cum eâ licitè habitare, quamvis juridicè probatum fuisset, eam ipsius esse uxorem; ergo à pari, si Judex per privatam suam cognitionem certò noverit, aliquem esse innocentem, non poterit ipsum condemnare, quantumvis juridicè criminis convictum.

Ad primum exemplum respondeo, distinguendum esse inter authoritatem civilem & authoritatem Ecclesiasticam, ac spiritualem. Quod si agatur de authoritate civili, valdè dubium est antecedens: si quis enim juridicè probetur Judex civilis; quoniam persuasio publica rationem habet tituli, sufficere videtur ad tribuendam authoritatem civilem; adeòque hoc in casu, Judicis officium exercere posset. Quod si agatur de authoritate Ecclesiasticâ & spirituali, qualis est in Sacerdote, pro Tribunali pœnitentiæ sedente; manifesta est disparitas: quia spiritualis authoritas pendet à caractere, quem publica testimonia, cæteræque probationes externæ nunquam tribuere possunt.

Ad ſecundum reſpondeo, diſparitatem eſſe in eo quòd, ſi lex aliqua reipsâ ſit iniqua, non poteſt ejus æquitas ita probari, ut probationes refelli non poſſint: non enim res eſt facti, ſed juris, quæ proindè nec teſtibus, nec authoritate, ſed rationibus eſt probanda.

Ad tertium reſpondeo, manifeſtam eſſe diſparitatem. Ille namque homo ſpectatur ut perſona privata, & conſequenter per notitiam privatam dirigi debet: at Judex eſt perſona publica, quæ proindè per notitiam publicam dirigi debet.

Objicies. 5°. Rex peccaret, ſi judicaret ſecundùm allegata & probata in causâ capitali, contrà privatam ſuam notitiam; ergo & Judex.

Nego antecedens. Cùm enim in prædicto caſu, Rex Judicis vices gereret, judicare teneretur ſecundùm allegata & probata; & conſequenter pronuntiare deberet, reum eſſe juridicè criminis convictum. Verùm poſteà, pro ſuâ dignitate & authoritate, reum dimittere teneretur, quandoquidem ſub hoc titulo, & ipſos nocentes juridicè convictos, dimittere poteſt.

Objicies denique. Judex, intrà judicandum, judicio Divino ſeſe conformare tenetur: at judicium Divinum exercetur,

secundùm scientiam Dei privatam ; ergo, &c.

Distinguo majorem. Judex judicio Divino sese conformare tenetur in quibusdam, concedo. In omnibus, nego. Nimirùm Deus judicat, ex authoritate sibi propriâ, adeòque secundùm privatam suam scientiam ; Judex autem judicat, ob solam authoritatem, vel à Deo, vel à Principe, vel à Republicâ acceptam.

Quod attinet ad quartam quæstionem, observandum est, duplicem hîc distingui proportionem, arithmeticam & geometricam. Arithmetica, ut hîc accipitur, est æqualitas perfecta, quæ nec à personis, nec à circumstantiarum varietate pendet, ut si evellatur dens pro dente, oculus pro oculo, sicut constituebatur per legem Talionis : hæc proportio vocatur aliter *physica*. Proportio geometrica, ut hîc accipitur, est ea, juxtà quam habetur ratio personarum & circumstantiarum : vocatur aliter *moralis*. Hoc notato,

Dico, 1°. proportionem geometricam, seu moralem, servandam esse in justitiâ, tùm distributivâ, tùm remunerativâ, tùm vindicativâ. Ratio est, quia in præmiis & pœnis distribuendis, servari non debet æqualitas inter personas. Nam, verbi gratiâ, alio præmio donandus Dux exercitûs;

alio verò, miles: aliter puniendus est, qui percussit Judicem, pro tribunali sedentem; & aliter, qui percussit plebeïum.

Dico, 2°. proportionem arithmeticam, seu physicam, servandam esse in justitiâ commutativâ. Qui enim centum debet nummos, totidem reddere tenetur, independenter à personis & circumstantiis.

Quæres autem, an volenti fieri possit injuria?

Quod si injuria sumatur pro eo omni, quod violat jus alterius, sive in ejus personâ, sive in fortunis, sive in famâ, respondeo, volenti fieri posse injuriam. Potest enim quis damnum aliquod libenter pati, aut propter concordiam, aut propter aliud laudabile motivum. Quod si injuria sumatur pro eo tantùm, quòd ad iracundiam movet, respondeo, volenti non posse fieri injuriam: quia nemo provocatur ad iracundiam in iis, quæ sunt secundùm ipsius voluntatis propensionem: hoc tantùm posteriore sensu intelligendum est hoc Juris Canonici principium, scienti & consentienti non fit injuria.

De fortitudine.

Fortitudinis nomen diversis accipitur modis. Pro viribus, sive corporis, sive animæ. 2°. Pro constantiâ in virtutis ali-

cujus exercitio. 3°. Pro habitu inclinante ad aggredienda, vel ſuſtinenda terribilia ex motivo honeſtatis : poſtrema hæc acceptio hujus eſt loci ; unde fortitudo, ut virtus cardinalis, definiri poteſt virtus timoris & audaciæ moderatrix, ex motivo honeſtatis circà terribilia.

Duo tantùm ſunt, generatim loquendo, fortitudinis actus, aggredi & ſuſtinere : circà hos actus inquirunt hîc Philoſophi, 1°. uter ſit nobilior ? 2°. An magis eluceſcant in repentinis, quàm in prævifis ? 3°. Quandonam illi actus ſint exercitia virtutis, & quandonam ſint actus illiciti ? Has quæſtiones, quæ nonnullas alias implicitè continent, ſic breviter ſolvimus.

Concluſio prima.

Requiritur fortitudo intenſior in ſuſtinendo, quàm in aggrediendo. Cùm enim fortitudo, circà difficilia verſetur, debet eſſe magis intenſa, ubi major eſt difficultas : atqui major eſt difficultas in ſuſtinendo, quàm in aggrediendo. Qui enim ſuſtinet timorem ſubitum, habet coercendum ; qui autem aggreditur, audaciam habet moderandam : atqui difficilius eſt timorem ſubitum coercere, quàm audaciam moderari. Dum enim periculum imminet,

de ſe timorem auget, & minuit audaciam; proindeque, &c.

Dices. 1°. Nobilius eſt agere, quàm pati: at aggredi, eſt agere; & ſuſtinere, eſt pati; ergo, &c.

Tranſeat major, nego minorem, quoad poſteriorem partem. Non minùs enim requiritur actio in ſuſtinente, quàm in aggrediente; ut per ſe patet. Dixi autem, *tranſeat:* quia nobilius quidem eſt agere, quàm pati, in ordine phyſico, hoc eſt, ſubſtantia activa nobilior eſt, quàm paſſiva; ſed non ſemper nobilius eſt agere, quàm pati, in ordine morali: verbi gratiâ, nobilius non eſt producere diſcurſum, quàm recipere gratiam ſanctificantem: diſcurſus enim perſonam minùs perficit, quàm gratia ſanctificans.

Dices. 2°. Sæpè magis laudantur Duces, ex eo, quòd hoſtem aggrediantur, quàm ſi ſolummodò ſuſtineant ejus impetum; ergo, &c.

Diſtinguo antecedens. Sæpè magis laudantur Duces, ob prudentiam, quâ cognoſcunt utilius eſſe, hoſtes certis in circumſtantiis aggredi, quàm ab iis præveniri, concedo. Præcisè quia aggrediuntur, nego.

At, inquies, qui aggreditur, fortior eſt, aut ſaltem ſe fortiorem putat; alio-

qui non aggrederetur; ergo, &c.

Distinguo antecedens. Fortior est physicè, seu majori virtute corporeâ pollet, aut se pollere præsumit, concedo. Fortior est moraliter, id est, habet intensiorem fortitudinis habitum, nego.

Conclusio secunda.

Fortitudo magis elucescit in repentinis, quàm in prævisis. Magis enim elucescit in eo, quod est difficilius: atqui pericula repentina, difficiliora sunt prævisis. In repentinis enim, ob periculi præsentiam, subito metu percellimur, & tunc vix quis sese colligere potest; in prævisis autem, ad pericula paulatim nos comparamus, juxtâ hoc vetus adagium, *prævisa tela minùs feriunt*; proindeque, &c.

Dices. Eò nobilior est virtutis actus, quò magis est deliberatus, & magis liber: at in prævisis, actus fortitudinis sic se habet; ergo, &c.

Distinguo majorem. Si æqualis sit utrinque difficultas, & habitus sint æqualiter intensi, concedo. Sin autem, nego. Porrò, repentinus fortitudinis actus difficilior est præviso, ut constat ex modò dictis; & præterea, habitum requirit valdè intensum. Cùm igitur actus fortitudinis æstimandus sit, tùm habitâ ratione difficul-

tatis, tùm habitâ ratione intensionis habitûs; consequens est, ipsum magis elucescere in repentinis, quàm in prævisis.

Conclusio tertia.

Directa sui ipsius occisio, facta authoritate privatâ, nedum sit actus fortitudinis, est verum crimen. Actus enim, quo fit injuria, tùm Deo, tùm Reipublicæ, verum est crimen: atqui directa sui ipsius occisio, facta authoritate privatâ, sic se habet. Primò quidem per talem actum, fit injuria Deo. Cùm enim Deus sit supremus vitæ, necisque Dominus, quisquis authoritate privatâ vitam sibi adimit, detrahit de jure Divino, ut per se patet; ergo, &c. 2°. Per actum hunc, fit injuria Reipublicæ. Quisquis enim Reipublicæ membrum eripit, quod ipsi prodesse poterat, detrahit de jure Reipublicæ: atqui per hunc actum, eripitur membrum Reipublicæ, ut per se manifestum est; aliundè verò, membrum illud Reipublicæ prodesse poterat: nullus quippè tam vilis est & abjectus, qui non possit Reipublicæ prodesse; proindeque, &c.

Dixi autem, 1°. directa sui ipsius occisio. Nam si quis inscius venenum, verbi gratiâ, hauriret, indirectè tantùm sibi vitam eripuisse diceretur; tuncque non

esset culpandus, cùm talis actus electione careret.

Dixi, 2°. *authoritate privatâ.* Si quis enim, vel authoritate Divinâ, vel authoritate publicâ, propter scelus aliquod admissum, sese interficeret; non idcircò culpandus esset, præcisè ob hunc actum.

Objectiones.

Objicies. 1°. Laudatur Samson, ex eo, quòd vitam sibi ademerit; ergo, &c.

Distinguo antecedens. Ex eo, quòd sibi vitam ademerit, inspiratione Divinâ pulsus, concedo. Authoritate privatâ, & absque inspiratione Divinâ, nego. Addunt nonnulli, ipsum indirectè tantùm se occidisse, in quantùm obruendo hostes populi Israëlitici, simul fuerit ipse obrutus.

Objicies 2°. Honestum est & licitum, sua expiare scelera; ergo potest quis propter scelerum suorum expiationem, sibi vitam adimere.

Distinguo antecedens. Viâ legitimâ, concedo. Viâ illegitimâ, seu novo scelere, nego.

Objicies denique cum Stoïcis. Si quis domum alicui locasset, & posteà tectum ejus everteret, murosque dirueret; tunc qui domum hanc accepisset, eam licitè dese-

rere posset; ergo cùm Deus dederit animæ corpus pro domicilio; si corpus miseriis & morbis obruatur, anima habitaculum illud licitè deserere poterit: quia tunc Deus non tantùm permittere, sed & imperare censendus est, ut homo mortem sibi procuret; ergo saltem qui miseriis & morbis obruitur, licitè potest seipsum directè occidere.

Nego utramque consequentiam. Disparitas est: tùm quia, qui domum, in allatâ hypothesi, deserit, aliam conducere potest, non item anima. Tùm quia corpus supponitur solummodò domicilium animæ: at hoc falsum est: anima enim substantialiter unitur cum corpore. Tùm denique, quia Christiani, ad exemplum Christi Domini, miserias & calamitates patienter ferre tenentur; virtus enim, ut ait Apostolus, in infirmitate perficitur.

Conclusio quarta.

Duellum authoritate publicâ susceptum, licitum est, & est actus fortitudinis. Actus enim, qui versatur circà difficilia, justâ de causâ & ex motivo honestatis, licitus est, & verus est actus fortitudinis: atqui duellum in prædictis circumstantiis susceptum, sic se habet. 1°. Namque talis actus circà difficilia versatur, cùm tunc

vita ſit in periculo. 2°. Fit juſtâ de causâ, cùm ob ſalutem publicam ſuſcipiatur. 3°. Fit ex motivo honeſto; honeſtum enim eſt & juſtum, vitam pro ſalute patriæ exponere; proindeque, &c.

Concluſio quinta.

Duellum in extremâ neceſſitate ſuſceptum, ita ut fugæ non detur locus, licitum eſt. Illud enim eſt licitum, quod leges omnes permittunt: at leges omnes duellum, in allatâ hypotheſi, permittunt, quando ſcilicet vita non poteſt aliter ſervari: eſt enim de lege naturæ, ut vitam noſtram ſervemus; ergo, &c.

Ubi notabis, pugnam in hoc caſu ſuſceptam, non tam duellum eſſe dicendum, quam legitimam deffenſionem.

Concluſio ſexta.

Duellum authoritate privatâ ſuſceptum, ſive ad ultionem injuriæ propriæ, ſive aliâ quâcumque de causâ, quàm in extremâ neceſſitate, non eſt actus fortitudinis, ſed verum crimen: actus enim rectæ rationi repugnans, & prohibitus tùm Eccleſiæ decretis, tùm Principum conſtitutionibus, verum eſt crimen: atqui duellum in præſenti hypotheſi ſuſceptum, ſic ſe habet.

Primò quidem adversatur rectæ rationi. Qui enim vitam suam levi de causâ exponit, imprudens est, & consequenter agit contrà rationis dictamen: at tali certamine pugnantes, levi de causâ vitam suam exponunt; quandoquidem injuria accepta, longè minùs est malum, quàm vitæ privatio; proindeque, &c. Prætereà, ille agit imprudentissimè, qui salutem æternam in discrimen apertum adducit; omnia quippè hujus vitæ bona, pro nihilo sunt habenda, relativè ad felicitatem æternam: at tali certamine pugnantes, sic se habent; cùm sæpè subitò moriantur, & proindè peccato mortali inquinati; ergo, &c.

Secundò. Talis actus adversatur, tùm Ecclesiæ decretis, tùm Principum constitutionibus. Ecclesiæ quidem decretis; Concilium enim Tridentinum anathemate percutit tali certamine pugnantes: Principum etiam constitutionibus opponitur, præsertim constitutioni felicis memoriæ Ludovici magni, qui cum juramento solemniter sese obstrinxerat, fore ut tali pugnâ decertantibus, nunquam parceret; ergo, &c. proindeque, &c.

Objectiones.

Objicies. 1°. Sæpè contingit, ut privatas

vatus propter injuriam ſibi illatam, recurrere non poſſit ad Judices, ubi nimirùm deſunt teſtes; ergo ipſi licitum eſt, injuriam illatam, authoritate propriâ vindicare.

Nego conſequentiam. Tunc enim patienter ferenda eſt illa injuria; imò nemo poteſt authoritate privatâ, injuriam illatam ulciſci ſine detrimento Reipublicæ, ſine imminenti vitæ propriæ periculo, ſine felicitatis æternæ jacturâ, & ſine legum, tùm Divinarum, tùm Humanarum contemptu. Hinc periculoſa eſt, tùm in fide, tùm in ſocietate civili, quorumdam opinio, qui contendunt, licitum eſſe interficere eum, qui vel alapâ nos percuſſit, vel publicè calumniatus eſt. Hæc enim opinio patientiam, humilitatem, manſuetudinem & charitatem, in Chriſtianorum cordibus extinguit.

Objicies. 2°. Honor anteponendus eſt vitæ; ergo ſi quis calumniando, honorem noſtrum eripere velit, licitè poteſt à nobis interfici.

Nego antecedens. Tùm quia honor ereptus reſtitui poteſt, non item vita: tùm maximè quia detractor verum honorem eripere non poteſt: at occiſor vitam irreparabiliter eripit. Hinc falſa eſt, inſana, & à diabolo invecta vulgaris hæc

persuasio ; *fama est vitæ anteponenda.*

Objicies denique. Principibus licitum est, bello publico confligere ; ergo privatis licitum est, bellum privatum gerere.

Esto antecedens, nego consequentiam. Disparitas est : quia dum Princeps bellum suscipit, agitur de bono publico procurando : at dum privati inter se pugnant, non agitur de bono publico, imò exindè sequitur Reipublicæ detrimentum. Præterea, non agitur de vero bono privato, ut constat ex dictis. Dixi autem, *esto* : quia justâ tantùm de causâ, eâque gravi, Principibus licitum est bellum gerere.

Conclusio septima.

Viro forti fugere nonnunquam licitum est. Vir namque fortis agere tenetur, secundùm id, quod boni publici ratio postulat : atqui boni publici ratio nonnunquam postulat, ut vir fortis fugiat. Periculum enim nonnunquam est evidens, & nulla spes affulget futuræ utilitatis, aut gloriæ : verbi gratiâ, si Dux exercitûs hostibus sit longè inferior ; boni namque publici ratio postulat, ut Dux ille, hoc in casu fugiat, seipsum, suosque milites patriæ servando ; proindeque, &c. Ubi notabis, viro forti nunquam esse licitum, fugam capescere, in iis circumstantiis, in

quibus utile eſt ac glorioſum occumbere, vel pro patriâ, vel pro religione: quia tunc rectæ rationi conſentaneum eſt, periculis ſeſe exponere.

Partes poteſtativæ fortitudinis, cum integrantibus confunduntur, & quatuor numerantur, ſcilicet magnificentia, patientia, fiducia & perſeverantia. Per magnificentiam, roboratur animus, ne propter ſumptuum multitudinem, ab executione difficilium deterreatur. Per patientiam, firmatur animus, adversùs incommoda, quæ paſſim occurrunt in difficilium executione. Per fiduciam, accenditur animus, ad aggrediendas res difficiles. Per perſeverantiam, firmatur animus, contrà moleſtiam, ex operis diuturnitate naſcentem.

Appendix de bello.

Quoniam in bello præſertim fulget actus fortitudinis; ideò nonnulla hîc ſubjungi ſolent, circà bellum. Qui autem plura ſcire voluerit, circà præſens argumentum, legat eximium Groſſii ſcriptum, cujus hîc eſt titulus, *de jure belli & pacis.*

Bellum deſcribi poteſt, pugna unius Reipublicæ cum aliâ. Pax obtinenda, debet eſſe cauſa finalis proxima belli, ſicut docuit Sanctus Auguſtinus, in epiſtolâ ad

Bonifacium; & ut oſtendit Cicero, Officiorum libro tertio.

Principes, vel Reſpublicæ, ſunt cauſæ efficientes belli. Cùm enim bellum ſit publicum, & propter bonum publicum ſuſcipiatur, debet habere cauſam efficientem publicam. Hinc 1°. Si Princeps bellum ſuſciperet, ob privatum ſuum commodum, ita ut exindè nulla redundaret in ſubditos utilitas; tunc hoc ipſo bellum eſſet illegitimum. Hinc 2°. Si Dux exercitûs ita ſe gereret, ut bellum protraheret eo fine, ut diutiùs frueretur authoritate ſibi commiſſâ; tunc habendus eſſet, tanquam infenſiſſimus generis humani hoſtis.

Bellum duplex diſtinguitur, deffenſivum & aggreſſivum. Bellum deffenſivum licitum eſſe dictitat lumen naturale; imò ut ait Tullius in Milonianâ, hoc & ratio doctis, & neceſſitas Barbaris, & mos gentibus & feris ipſa natura præſcribit, ut vim omnem ſemper quâcumque ope poſſint, à capite, à vitâ ſuâ propulſent. Idem ſtatuit Sanctus Ambroſius, in Officiis, bellum aggreſſivum multis in caſibus licitum eſſe, conſtat ex Sancto Auguſtino, quæſtione decimâ, ſuper Joſue: quod confirmari poteſt his Apoſtoli verbis, in epiſtolâ ad Romanos; *non ſine causâ gladium portat*, (loquitur de Principe):

Minister enim est Dei, vindex in iram ei, qui malè agit.

Nota porrò, facienda non esse mala moralia, ut eveniant bona; sed fieri posse mala physica, ut eveniant bona moralia. Hinc bellum geri potest sine malo morali, quamvis fieri non possit sine malis physicis.

At, inquies, *qui gladium acceperint, gladio peribunt*; ergo signum est, bellum geri non posse, sine malis moralibus.

Nego consquentiam. Nam illi tantùm propriè loquendo, gladium accipere dicuntur, qui sine ullâ authoritate legitimâ, in cæterorum sanguinem armantur: Princeps autem, vel Respublica, legitimam habet authoritatem, nec, propriè loquendo, gladium accipit, sed habet.

Quæres autem, 1°. an viro Christiano licita sit militaris professio?

Respondeo, professionem militarem, nec malam esse, nec religionis Christianæ sanctitati contrariam, dummodò milites suis ritè fungantur officiis, & neminem authoritate privatâ vexent. Responsio confirmatur authoritate Sancti Joannis Baptistæ, qui consultus à militibus, circà ea, quæ erant acturi, ipsos à conditione suâ non deterruit, sed hortatus est, ut suis essent contenti stipendiis.

Quæres, 2°. an in bello ſtratagematibus uti liceat?

Ut reſpondeam, nota ſtratagemata duplicis eſſe generis, eluctabilia, quæ adhibitâ diligentiâ, vitari poſſunt, & vocantur inſidiæ; & ineluctabilia, quæ nullâ cautione vitari poſſunt, quales eſſent aquæ fontales, veneno infectæ.

Reſpondeo, 1°. licere inſidiis uti in bello, ut patet exemplo Joſue, cui mandavit Deus, ut inſidiis deciperet habitantes Haï. Hinc ritè Plutarchus, ubi in bello Leonina pellis non attingit, oportet vulpinam aſſumere.

Reſpondeo, 2°. non licere uti ſtratagematibus ſecundæ ſpeciei: quia, inquit Sanctus Ambroſius, quædam ſunt bellorum jura, vel inter ipſos hoſtes ſervanda: ſcilicet jus gentium poſtulat, ut quæ ſunt communia, poſſint omnibus prodeſſe, & nemini noceant.

At, inquies contrà priorem reſponſionem, non licet alios decipere; ergo, &c.

Diſtinguo antecedens. In commercio, contractibus & pactis, concedo. Non licet hoſtes decipere, ſi bellum ſit juſtum, nego.

De temperantiâ.

Temperantia, eſt virtus moderatrix

voluptatum, quæ percipiuntur, gustu præsertim & tactu; unde voluptates gustûs & tactûs temperandæ, dici possunt ejus objectum. Dixi autem, *gustu præsertim & tactu*: quia faciliùs contingere potest excessus in ejusmodi voluptatibus, quàm in iis, quæ percipiuntur alio modo.

Partes subjectivæ temperantiæ numerantur quatuor, duæ scilicet circà voluptates gustûs, abstinentia nimirùm & sobrietas; duæ verò, circà voluptates tactûs, nempè castitas & pudicitia.

Abstinentia modum ponit cibis; sobrietas autem, potui. In hoc porrò versantur hæ virtutes. 1°. Ne vel in quantitate, vel in qualitate peccemus. 2°. Ne ultrà famem & sitim, cibum potumve capiamus. 3°. Ne avidè sumamus, si adsint; & ne nimiùm anxiè expectemus, si desint.

Circà sobrietatem, multa sunt præcepta, tùm in Scripturâ Sacrâ, tùm apud Sanctos Patres, tùm in Conciliis Oecumenicis. Nimirùm sic loquitur Scriptura Sacra, *vinum ingreditur blandè, sed in novissimo mordebit ut coluber, & sicut regulus venenum diffundet.* Quod attinet ad Sanctos Patres & Concilia Oecumenica, usum vini vix concedunt, præsertim juvenibus, nisi sit aquâ valdè dilutum, & solummodò propter ventriculi debilita-

tem, vehementerque insurgunt in Christi Ministros, qui ebriosis, seu iis, qui habitum ebrietatis contraxerunt, veniam facilè concedunt in pœnitentiæ Tribunali. Quod si solum rationis dictamen consulere voluerimus, tam horrendum vitium fugere poterimus, si ad sequentia diligenter attendamus. Primum usum immoderatum vini, memoriæ nocere; quatenùs nimirùm motum perturbatum excitat in sanguine; exindè namque fit, ut humores, à quibus pendet membranularum flexibilitas, paulatim difflentur. Secundum, vires corporis immoderato vini usu paulatim infringi; ut patet ex eo, quòd successu temporis, contremiscant artus, blæsa fiat lingua: quia scilicet chilus indigestus, cum sanguine permiscetur. Tertium, partem tartareosam vini, paulatim adhærescere parti concavæ vasorum sanguiferorum, & successu temporis, sanguinis circuitum perturbare, & nonnunquam impedire; hinc apoplexia, hydropisis, calculus, &c.

Castitas triplex distinguitur, virginalis, conjugalis & vidualis, de quibus fusè tractat Sanctus Augustinus, in libris de virginitate, de bono conjugii, & de bono viduitatis.

Pudicitia moderatur quæcumque per-

tinent ad objecta externa; qualia sunt colloquia, cantilenæ, &c.

Castitatem & pudicitiam servare ac fovere poteris. 1°. Sobrietate & abstinentiâ; hoc enim modo cupidinis faces extinguntur. 2°. Exercitatione moderatâ: quia tunc mens aliò detorquetur. 3°. Fugiendo spectacula, in quibus corruptela sensim auribus & oculis ebibitur. 4°. Abstinendo se à lectione pravorum librorum, quo nomine, non solùm intelligo eos, in quibus vitium contrà castitatem apertè suadetur & laudatur; sed eos etiam, in quibus vitium exhibetur sub aliquâ specie honesti; qualia sunt tùm veterum, tùm recentiorum varia carmina, narrationes fabulosæ, cantilenæ: per hanc enim lectionem paulatim nascitur in vitium propensio. 5°. denique. Vitando privatam consuetudinem, cum personis diversi sexûs; neque enim sumus Samsone fortiores, Davide sanctiores, & Salomone sapientiores.

Partes potentiales temperantiæ multæ numerantur, quarum præcipuæ sunt, continentia, humilitas, mansuetudo, modestia, studiositas, eutrapelia, seu urbanitas & simplicitas. Continentia, est habitus resistendi motibus concupiscentiæ, ad obscœna sollicitantis. Humilitas, est

habitus vilitatem suam & infirmitatem, dictis & factis ingenuè profitendi: hæc virtus spectatur à Sanctis Patribus, tanquam cæterarum basis & fundamentum. Hinc virtutem hanc sæpissimè commendat sapiens; hinc etiam sic loquitur ipse Christus: *Discite à me, quia mitis sum & humilis corde.* Mansuetudo, est virtus iræ moderatrix; sicut clementia, desiderium vindictæ moderatur. Studiositas, est habitus, qui moderatur cognoscendi desiderium, præsertim dum agitur de cognitionibus sterilibus & inanibus. Eutrapelia, seu urbanitas, est virtus, quæ non tantùm ludis & jocis modum imponit, sed etiam efficit, ut nostra consuetudo grata sit & utilis iis omnibus, quibuscum vivimus. Simplicitas, est virtus, quæ corporis cultum honestè moderatur.

Partes integrantes temperantiæ numerantur duæ, honestas & verecundia. Honestas, ut hîc accipitur, est voluntatis propensio, in decus consentaneum; decus autem, seu decorum, est id omne, quod dictorum & factorum moderationi est conforme. Verecundia in eo differt à modestiâ, quòd per modestiam caveatur, ne quid inhonestum dicatur, aut agatur: verecundia verò, seu pudor, sit habitus aversandi quæcumque geruntur, aut pro-

feruntur inhonesta. Ubi notabis, ruborem, quo vultus quandoque suffunditur, dum inhonesta dicuntur, aut geruntur; non esse virtutem, sed tantùm aut aptitudinem ad virtutem, aut virtutis signum.

De vitiis moralibus.

Moralis agit de vitiis, eo fine, ut cognita vitentur. Vitium autem in eo differt à peccato, quòd peccatum sit actio moraliter mala; vitium autem, sit habitus inclinans ad actus moraliter malos.

Vitium non inest à naturâ, sed per actus moraliter malos frequenter repetitos, paulatim comparatur; hinc illa propensio ad malum, cum quâ nascimur, non est propriè loquendo, vitium, sed dispositio ad vitium, quæ est velut consectarium peccati originalis.

Voluntas, est subjectum quo, vitiorum: quia sola facultas electiva, capax est virtutis & vitii.

Triplex vitii status vulgò distinguitur. Primus dicitur *incontinentiæ*, in quo homo tentationibus quidem cedit, sed reluctante adhuc rectâ ratione. Secundus dicitur, *intemperantiæ*, in quo homo jam est ita depravatus, ut vel levissimis cedat tentationibus. Tertius dicitur, modò *ferinus*, modò *indurationis*, in quo homo suprà

communem hominum ſortem, ſic ad improbitatem deficit, ut nullum ampliùs ſentiat conſcientiæ ſtimulum: hic ſtatus merum eſt figmentum; nunquam enim conſcientiæ ſtimulus penitùs extinguitur.

Vitium duplex univerſim diſtingui poteſt, per ſe & per accidens. Vitium per ſe, dicitur illud, cujus objectum ex naturâ ſuâ malum eſt, ſeu quod nunquam fieri poteſt licitum; qualis eſſet habitus Deum odio habendi. Vitium per accidens, dicitur illud, cujus objectum ex naturâ ſuâ malum non eſt, ſed redditur illicitum, vel per leges poſitivas, ut carnium eſus tempore quadrageſimali; vel ob finem malum, ut eleemoſinæ largitio, propter vanam gloriam; vel ob circumſtantiam malam, ut colloquia in Eccleſiâ, præſertim dum fit ſacrum. Præterea, vitium aliud eſt per exceſſum, & aliud per defectum.

Prudentiæ per exceſſum opponitur calliditas; per defectum autem imprudentia.

Calliditas quatuor ſub ſe continet vitia, ſcilicet prudentiam carnis, ſollicitudinem temporalium, futurorum anxietatem, & aſtutiam. Prudentia carnis, eſt vitium, quo quis nimiùm ſapit, quæ pertinent ad corpus, ita ut felicitatem ſuam in bonis corporeis reponat. Sollicitudo temporalium, eſt vitium, quo quis bona ſenſilia

sic congerit, eorumque conservationi sic invigilat, ut spiritualia negligat. Anxietas futurorum, est desiderium immoderatum, bona temporalia pro futuro comparandi. Astutia, est facilitas excogitandi media, ad alios decipiendos idonea: ejus exercitium si verbis compleatur, dicitur *dolus*; si verò factis, *fraus*.

Imprudentia tria sub se continet vitia: præcipitationem, inconstantiam, & negligentiam. Præcipitatio, est insufficiens deliberatio circà media, & nascitur vel ex passionum impetu, vel ex cæterorum mediorum contemptu. Inconstantia, est veteris propositi, leves ob causas, mutatio. Negligentia, est cunctatio in assumendis mediis, à rectâ ratione præscriptis.

Justitiæ nullum opponitur vitium per excessum, sicut fuit probatum. Vitium autem ipsi oppositum per defectum, vocatur generatim injustitia. Justitiæ legali opponuntur boni publici contemptus, & malorum publicorum procuratio. Justitiæ distributivæ, opponitur personarum acceptio, quâ quis in distribuendis, vel bonis, vel oneribus publicis, non servat proportionem moralem. Justitiæ commutativæ, multa opponuntur vitia, quia plurima sunt bona, circà quæ fieri potest injuria possidenti: scilicet alia sunt circà

corpus, ut homicidium, mutilatio, percussio, pulchritudinis deformatio, &c. Alia circà famam, ut judicium temerarium, contumelia, famæ detractio; alia denique, circà bona fortunæ, ut furtum, rapina, &c.

Fortitudini per excessum opponitur temeritas, aut audacia, quâ quis absque necessitate, vitam exponit; per defectum verò timiditas, seu ignavia, quâ quis deterretur à periculis honestè subeundis.

Temperantiæ per excessum opponitur intemperantia, cujus tres sunt species: gula, quæ opponitur abstinentiæ; ebrietas, seu crapula, quæ opponitur sobrietati; & libido, seu impudicitia, quæ adversatur, tùm castitati, tùm pudicitiæ. Præterea, variæ sunt impudicitiæ species, sed ne quidem nominandæ inter Christianos, ut vetat Apostolus. Temperantiæ per defectum opponitur stupiditas, quâ quis ita hebetatur, ut nullam percipiat voluptatem, ne quidem honestam.

De passionibus.

Passio, ut hîc accipitur, vulgò definitur, motus appetitûs sensitivi, ortus ex imaginatione boni, vel mali sensilis, cum aliquâ corporis immutatione. Ideò autem adduntur postrema verba: quia pas-

ſiones præſertim vehementes, corporis ſtatum immutant: ſic enim propter metum palleſcit vultus: hæc paſſionis deſcriptio laborat æquivocatione; unde emendabitur poſteà.

Conſervatio hominis, eſt cauſa finalis proxima paſſionum; excitantur enim in hominibus, ut proſequantur utilia, noxiaque fugiant.

Solus Deus, eſt cauſa efficiens propriè dicta paſſionum, prout ſe tenent, tùm ex parte corporis, tùm ex parte animæ: quia ſolus Deus agere poteſt phyſicè in utramque hanc ſubſtantiam; unde anima rationalis & objecta circumſtantia, ſunt tantùm cauſæ occaſionales paſſionum.

Circà paſſiones propriè dictas, duo hîc inquiruntur à Philoſophis. Primum, an ſint, vel bonæ, vel malæ moraliter? Secundum, quot ſint diverſæ paſſiones, quænam ſint earum cauſæ occaſionales, & quænam ſint uniuſcujuſque proprietates? Ut ſolvatur prior quæſtio, ſit,

Concluſio.

Paſſiones de ſe, ſeu ex naturâ ſuâ, neque ſunt bonæ, neque malæ moraliter. Quæ enim non ſunt actus humani, neque bona, neque mala moraliter dici poſſunt; cùm libertas extendatur ad ſolos actus hu-

manos: atqui passiones, non sunt actus humani, ut ex ipso nomine patet; ergo, &c. Et certè, quæ possunt indiscriminatim inservire virtutum & vitiorum exercitio, de se neque bona sunt, neque mala moraliter: atqui passiones sic se habent; possunt quidem inservire vitiorum exercitio, ut omnes fatentur: deinde possunt inservire virtutum exercitio. Nam, verbi gratiâ, ira potest inservire fortitudini; imò Christus ipse motus est irâ, contrà vendentes in Templo. Pariter, amor inservire potest charitatis exercitio; tristitia & odium variis virtutibus Christianis; proindeque, &c.

Objectiones.

Objicies. 1°. Concupiscentia, est passio: atqui de se mala est, quia de se producit peccatum, ut legitur in Scripturâ Sacrâ; ergo, &c.

Nego minorem. Concupiscentia quidem inordinata, seu prout versatur circà objecta illicita, de se mala est; sed concupiscentia præcisè, ut est passio, seu prout est impulsus versùs objectum bonum, non est de se mala; alioqui non liceret appetere cibum. Ubi igitur concupiscentia dicitur in Scripturâ Sacrâ, *peccatum pariens*, agitur ibi de concupiscentiâ

inordinatâ. Scilicet usus invaluit, ut concupiscentiæ nomine, intelligeretur non passio universim, sed amor immoderatus bonorum sensilium.

Instabis. Quod est occasio peccati, de se malum est: atqui concupiscentia, vel generatim sumpta, est occasio peccati; ergo, &c.

Distinguo majorem. Si per se sit occasio peccati, concedo. Si per accidens tantùm, nego. Illud dicitur occasio per se peccati, quod nunquam inservire potest virtutum moralium exercitio. Illud autem est occasio per accidens peccati, quod indiscriminatim est occasio, vel actûs boni, vel actûs mali. Reverâ, &c.

Objicies. 2°. Vindicta est passio de se mala; ergo quædam passio, de se mala est.

Distinguo antecedens. Vindicta specificè sumpta, seu habitâ ratione objecti determinati, transeat. Vindicta præcisè, ut passio, nego. Scilicet vindicta, ut passio præcisè, de se indifferens est, ut versetur circà objecta, aut licita, aut illicita. Hinc licitum est, in nosmetipsos vindicare injuriam per peccata nostra, Deo illatam, pœnitentiam scilicet agendo. Dixi autem, *transeat*: quia Principibus licitum est, vindicare injurias subditis suis illatas.

Objicies denique. Paſſiones dicuntur animæ morbi; ergo de ſe ſunt malæ.

Diſtinguo antecedens. Paſſiones immoderatæ, & quarum objecta ſunt illicita, concedo. Paſſiones generatim ſumptæ, moderatæ, & independenter ab objectis conſideratæ, nego: & nego conſequentiam.

At, inquies, primi Parentes in ſtatu innocentiæ caruerunt paſſionibus, vel moderatis; ergo ſignum eſt, paſſiones univerſim ſumptas, de ſe malas eſſe.

Nego antecedens. Tùm quia carere non debuerunt iis impreſſionibus, quæ requirebantur ad ipſorum conſervationem, & ad variarum virtutum exercitium. Tùm quia non magis carere debuerunt paſſionibus, quàm ipſe Chriſtus, ut homo: at Chriſtus, ut homo, paſſionibus non caruit, ut conſtat de irâ & triſtitiâ.

Quæres autem, quid ſit ſentiendum de apathiâ, ſeu immunitate à paſſionibus, quæ requirebatur à Stoïcis in ſapiente?

Reſpondeo, Stoïcos rectè ſenſiſſe, ſi hoc nomine intellexerint immunitatem à paſſionibus immoderatis: quia vir ſapiens paſſiones ſuas moderari tenetur, juxtà illud Scripturæ Sacræ, *ſub te erit appetitus tuus.* Sed contendo, Stoïcos erraſſe, ſi hoc nomine intellexerint immunitatem

ab omnibus passionibus, vel moderatis. Tùm quia, posito rerum ordine à Deo constituto, status ille sit impossibilis: tùm quia status ille vocaretur, stupiditas, quæ pejor esset ipsis passionibus, vel immoderatis.

De naturâ & numero passionum.

Appetitus sensitivus, ad quem pertinent passiones, duplex vulgò distinguitur, concupiscens & aversans. Nimirùm cùm objecta sensilia duplicem habeant ad corpus nostrum habitudinem, convenientiæ scilicet & disconvenientiæ; ideò occasione impressionum, quæ excitantur in animâ, appetitus sensitivus modò concupiscens & modò aversans, vocari potest: concupiscens, si versetur circà objecta sensilia, quæ judicentur convenientia; aversans autem, si judicentur disconvenientia: hinc duplex universim distinguitur passio, amor & odium.

Nota porrò, passiones spectari posse, vel prout sunt impressiones, aut gratæ, aut molestæ in animabus nostris, occasione objectorum sensilium excitatæ; vel pro actibus animæ nostræ, qui has impressiones subsequuntur: verbi gratiâ, amor sumitur, vel pro impressione gratâ, occa-

ſione objecti ſenſilis convenientis; vel pro actu, quo proſequimur objectum illud conveniens; aut ſaltem ejus poſſeſſionem expetimus. Paſſionis nomine, intelligemus in poſterùm, tùm impreſſionem, ſeu ſenſationem, tùm actum ſubſequentem. Hoc notato,

Amor deſcribi poteſt, motus appetitûs ſenſiti, verſantis circà objecta ſenſilia, quæ judicantur nobis convenientia; odium verò deſcribi poteſt, motus appetitûs ſenſitivi, verſantis circà objecta ſenſilia, quæ judicantur nobis noxia.

Ut intelligatur ejuſmodi paſſionum natura, notandum eſt, commotiones excitatas in partibus organicis noſtri corporis, occaſione objectorum externorum & ſenſilium, vel eſſe convenientes diſpoſitioni mechanicæ, mirabilis hujus machinæ; vel eidem contrarias. Si ſint ipſi convenientes; tunc earum occaſione, excitantur impreſſiones in animâ, quæ judicantur gratæ; unde proſequimur ea objecta, quæ vulgò creduntur earum cauſæ; imò quoties eadem objecta, vel alia iis ſimilia, ſimiles excitabunt in organis corporeis commotiones; toties ſimiles excitabuntur impreſſiones in animâ, ſimileſque ſubſequentur actus, dummodò tamen eadem corporis noſtri conſtitutio permaneat.

Quod ſi commotiones illæ contrariæ ſint diſpoſitioni mechanicæ corporis; tunc excitabuntur in animâ ſenſationes ingratæ; adeòque averſabimur objecta, quæ judicantur earum cauſæ. Pariter, quoties eadem objecta, vel alia iis ſimilia, ſimiles excitabunt commotiones in organis corporeis; ſimiles in animâ ſenſationes excitabuntur, quas ſimiles ſubſequentur actus: dummodò pariter, eadem corporis noſtri conſtitutio permaneat: quod addo, quia ſi mutaretur hæc conſtitutio, commotiones, quarum occaſione excitabantur anteà ſenſationes gratæ, poſſent eſſe occaſiones ingratarum; & vice versâ; ſicut patet ex eo, quòd, occaſione ejuſdem objecti, ſint in nobis ſenſationes, modò gratæ, modò moleſtæ, prout vel firmâ valetudine fruimur, vel febri laboramus.

Ex hâc paſſionum generalium explicatione, facilè colligitur, cur objecta quædam ſenſilia, nunquam anteà viſa, primo tamen aſpectu, vel placeant, vel diſpliceant: quia ſcilicet ſimilia ſunt iis, qui placuerunt, aut diſplicuerunt.

Amoris variæ ſunt ſpecies, quarum præcipuæ ſunt deſiderium, gaudium, ſpes & deſperatio.

Deſiderium, ſeu concupiſcentia, eſt motus appetitûs ſenſitivi, versùs bonum

sensile absens, non attendendo, an obtentu facile sit, an difficile. Quod si hic motus sit immoderatus, reipsâ vitium est, & propriè dicitur concupiscentia. Ideò autem motus hic excitatur: quia objectum aliud sensile præsens, excitat memoriam illius objecti absentis, cujus commotio judicata fuit grata.

Ut moderata sit hæc passio, & exercitio vitutum inservire possit, nos ita gerere debemus, ut sive sit spes illius boni rursùs possidendi, sive nulla nobis affulgeat; semper attendamus bonum illud sensile, non esse finem nostrum ultimum, nosque beatos esse posse, absque illius possessione: hâc quippe consideratione, voluntati Divinæ promptiùs & faciliùs subjiciemur.

Gaudium, ut hîc accipitur, aliter voluptas, describi solet, motus appetitûs positivi, versùs objectum sensile præsens, judicatum ut nobis hîc & nunc bonum. Clariùs describi potest, complacentia in possessione boni sensilis.

Ut moderata sit hæc passio, & exercitio virtutum inservire valeat, sequentia requiruntur. Primum, ut id quod delectat, ad Deum referri possit; alioqui consensus huic delectationi datus, verum est peccatum. Secundum, ut voluptas, quæ per-

cipitur, nec uſui libertatis officiat, nec animam in ſuis functionibus perturbet. Tertium, ut bonum illud ſenſile non tantùm conveniat conſtitutioni præſenti corporis noſtri, ſed etiam ut futuræ nullatenùs noceat.

Spes, ut paſſio, deſcribi poteſt, motus appetitûs ſenſitivi, versùs bonum ſenſile abſens, quod arduum quidem & difficile, ſed tamen obtentu poſſibile judicatur.

Ut moderata ſit hæc paſſio, debet eſſe ſubordinata ſpei futuræ felicitatis æternæ; unde cavendum imprimis, ne paſſionis hujus objectum judicetur ſummum bonum.

Deſperatio, ut eſt paſſio, deſcribi poteſt, motus appetitûs ſenſitivi versùs objectum ſenſile, judicatum quidem ut nobis bonum, ſed obtentu impoſſibile.

Ut moderata ſit hæc paſſio, conſiderandum eſt, bonorum omnium ſenſilium privationem, non eſſe malum morale, & alia eſſe bona inſenſilia, longè præſtantiora bono illo ſenſili, quod judicatur obtentu impoſſibile.

Præcipuæ ſpecies odii, ſunt fuga, triſtitia, audacia, timor & ira.

Fuga, eſt motus appetitûs ſenſitivi, per quem objecta ſenſilia abſentia averſamur, tanquam nobis noxia: quod oritur, vel ex eo, quòd anteà nos malè affecerint,

vel ſimilia ſint iis, à quibus fuimus malè affecti.

Ut hæc paſſio virtutis exercitio poſſit inſervire, paulatim comparare debemus habitum, non reſpuendi quæ nocent, & non proſequendi quæ placent.

Triſtitia, eſt motus appetitûs ſenſitivi, verſantis circà objectum ſenſile præſens, judicatum ut nobis noxium.

Ut moderata ſit hæc paſſio, nihil non tentandum eſt, ut gravem vitemus animi ægritudinem, diuturnumque languorem: quod ut præſtes, 1°. confuge ad amicum, qui te ſublevet. 2°. Reflecte in rerum humanarum viciſſitudinem. 3°. Miſerias, quas pateris, confer cum aliis gravioribus quas alii patiuntur. 4°. Revoca in memoriam peccata tua præterita, propter quæ miſeriis illis forſan afficeris. 5°. denique. Attende ad ſummam Dei providentiam, quæ per hunc ſtatum te probat, velut aurum in fornace.

Audacia, eſt motus appetitûs ſenſitivi, ortus ex eo quòd, objectum ſenſile judicetur ut malum nobis imminens, vitabile tamen, licet cum magnâ difficultate.

Ut moderata ſit hæc paſſio, licitas tantùm vias aſſumere debemus, ut malum illud vitetur.

Ira, eſt motus appetitûs ſenſitivi, aver-
ſantis

ſantis objecta ſenſilia, quæ judicantur cauſæ malorum & miſeriarum, quibus afficimur. Homines irati, triplicis generis diſtinguntur, acuti, infenſi & acerbi. Acuti dicuntur, qui facilè iraſcuntur, & facilè ſedantur. Infenſi dicuntur, qui nunquam ſedantur, niſi poſt extremam vindictam: horum ira vocatur furor. Acerbi vocantur, qui diu permanent irati, ſed ita tamen ut tandem ſedentur. Ubi notabis, duas poſteriores iræ ſpecies, eſſe inordinatas & proinde malas.

Præcipuæ cauſæ occaſionales iræ, ſunt offenſio & contemptus noſtri; hinc facilè iraſcuntur, qui putant ſe à multis contemni, ut pauperes, ſenes, ægri, &c. Hæc paſſio naſcitur quoque ex eo, quòd judicemus, nos ab aliis non ſatis æſtimari: ob quam cauſam facilè iraſcuntur mulieres & ſuperbi.

Ut hæc paſſio virtutis exercitio poſſit inſervire, debet eſſe abſque impatientiâ, & legitimo nixa motivo.

Timor, eſt motus appetitûs ſenſitivi, ortus ex eo, quòd objectum ſenſile judicetur ut malum imminens & ineluctabile.

Ut moderata ſit hæc paſſio, debemus eſſe ſic affecti, ut patienter feramus quidquid ſecundùm ordinem providentiæ Divinæ, nobis accidere poteſt.

De proprietatibus actuum humanorum.

Proprietates actuum humanorum duplicis sunt generis, primariæ & secundariæ. Primariæ dicuntur illæ, quæ immediatè fluunt ab actuum humanorum naturâ: & duæ vulgò assignantur, bonitas & malitia. Secundariæ dicuntur illæ, quæ mediantibus primariis, ex eâdem naturâ dimanant. Hinc aliæ fluunt, mediante bonitate, ut laus, gloria, honor, meritum, &c; aliæ verò, mediante malitiâ, ut vituperium, demeritum, &c. Quædam etiam dicuntur fluere, mediante alterutrâ primariâ proprietate indiscriminatim, ut fama.

De secundariis proprietatibus nulla hîc est peculiaris difficultas: at circà primarias, multa hîc occurrunt examinanda. Primum, quid sit bonitas moralis? Secundum, quid sit malitia moralis? Tertium, undenam æstimandæ sint bonitas & malitia humanorum actuum? Quartum, an actus quilibet humanus sit, ita vel bonus, vel malus moraliter, ut nullus dari possit indifferens? Quintum denique, quænam sint præcipuæ morum regulæ generales? Ut solvantur hæ quæstiones, sint,

Conclusio prima.

Bonitas moralis, consistit in intrinsecâ perfectione, quæ sit fundamentum conformitatis cum lege naturali, seu cum rectâ ratione. Quod enim est quid primum in bono, ut bono; quodque fons est & origo omnium ejus proprietatum, dici debet ejus essentiam constituens: atqui perfectio intrinseca, quæ sit fundamentum supradictæ conformitatis, sic se habet. Primò quidem intrinseca perfectio, concipitur ut quid primum in actu bono, ut bono. Fundamentum enim relationis, est quid primum in ente, ut relativo: at bonitas moralis, est ens relativum; aliundè verò, perfectio intrinseca concipitur, ut fundamentum ejus relationis, nimirùm ipsius conformitatis. Secundò, perfectio intrinseca, concipitur ut fons & origo omnium proprietatum actûs moraliter boni; ut constare debet ex eo, quòd afferatur tanquam ultima ratio quorumlibet attributorum specificorum actûs moraliter boni; ergo, &c.

Couclusio secunda.

Malitia moralis, nihil aliud est, quàm carentia perfectionis debitæ. Si enim actus humanus, prout carens perfectione de-

bitâ, intelligatur moraliter malus; malitia moralis, nihil aliud est, quàm illa carentia: atqui, &c. Bonum enim morale debet esse integrum, id est, nullâ perfectione debitâ carere debet. Jam verò, si quidam actus humanus careat aliquâ perfectione requisitâ & debitâ, eo ipso concipitur moraliter malus: quamobrem malitia moralis, nihil aliud est, quàm perfectionis debitæ carentia. Hinc malitia malè assignatur, ut actuum humanorum proprietas.

Et certè, illa sententia debet admitti, quam propugnarunt Sancti Patres & Doctores, dum contrà Manichæos docebant, malitiam moralem non esse ens positivum, ipsamque proinde non habere causam effectricem: sic censebant Sanctus Augustinus, libro secundo, de Civitate Dei; Sanctus Basilius, in suis Homeliis; & sic de aliis.

Objectiones.

Objicies. 1°. Contraria debent esse positiva: atqui bonitas & malitia, sunt duo contraria; ergo, &c.

Nego minorem. Quæ enim se habent ut forma & absentia formæ, non contrariè, sed privativè tantùm opponuntur: porrò, bonitas & malitia se habent, ut forma & absentia formæ; ut constat ex

probatione. Quod si bonitas & malitia dicantur à nonnullis, opponi contrariè; grammaticaliter tantùm & impropriè, non autem philosophicè & accuratè loquendo, sic vocantur.

Objicies. 2°. Tam malum morale dici potest quid positivum, quàm malum physicum: atqui, &c. ut patet de veneno; ergo, &c.

Respondeo, 1°. hîc non agi de malo in concreto, sed de ipsâ malitiâ; unde licet malum physicum sit quid positivum, non ideò malitia moralis est etiam quid positivum.

Respondeo, 2°. malum physicum formaliter sumptum, non esse quid positivum. Ideò namque venenum, verbi gratiâ, dicitur formaliter malum: quia caret aliquâ formâ physicâ, ob cujus absentiam, non est conveniens dispositioni mechanicæ nostri corporis.

Objicies. 3°. Quod fit à causâ reali, reale est, seu positivum: atqui malitia fit à causâ reali, nimirùm à voluntate creatâ; ergo, &c.

Distinguo majorem. Quod fit à causâ reali efficiente, concedo. Deficiente, nego. Reverâ, ipsa actio fit à causâ producente; sed malitia, est tantùm à causâ deficiente. Hinc nego etiam minorem; nec

enim, propriè loquendo, malitia fit à causâ, sed eatenùs actus humanus est malus, quatenùs voluntas agendo, deficit à rectâ ratione.

Objicies. 4°. Quod opponitur præcepto negativo, positivum est: atqui malitia moralis opponitur, &c. verbi gratiâ, malitia furti opponitur huic præcepto Divino, *non furaberis*; ergo, &c.

Distinguo majorem. Quod opponitur contrariè, concedo. Privativè tantùm, nego. Scilicet furtum materialiter sumptum, opponitur quidem contrariè præcepto negativo; adeòque positivum est: at malitia furti privativè tantùm opponitur supradicto præcepto: quia est absentia rectitudinis, per præceptum illud imperatæ.

At, inquies, si malitia furti foret negatio, daretur negatio negationis. Præceptum enim non furandi, postulat negationem furti, & malitia foret hujus negationis negatio; ergo, &c.

Nego sequelam, & ad probationem nego propositionem. Præceptum enim non furandi, meram non postulat furti negationem, sed positivum voluntatis affectum, aliena bona non auferendi; ut patet ex eo, quòd violaretur præceptum illud, si voluntas sic afficeretur, ut aliena bona con-

cupisceret, quamvis ipsa non actu auferret. Præterea, malitia furti non est negatio furti, sed absentia rectitudinis; quam habere debet actus, ut actus.

Objicies. 5°. Si malitia moralis esset absentia rectitudinis debitæ, assignari deberet subjectum immediatum, carens illâ rectitudine debitâ: atqui tale subjectum assignari non potest. Subjectum enim illud esset, vel ipsa voluntas, vel voluntatis actus: atqui neutrum dici potest. Non voluntas, alioqui sola hæc facultas dici posset mala; non etiam actus voluntatis, alioquin odium Dei, dici non posset malum, utpotè recipiendæ rectitudinis incapax; ergo, &c.

Nego minorem utriusque sillogismi: & dico voluntatis actum, esse subjectum immediatum carens rectitudine debitâ; quatenùs caret, vel fine legitimo, vel circumstantiâ legitimâ. Ad id autem quod additur, respondeo, odium Dei esse malum, ex eo, quòd versetur circà objectum, quod non debet esse ipsius objectum; unde caret objecto legitimo.

Objicies denique. Si malitia moralis consisteret in carentiâ rectitudinis debitæ; omnia peccata, alicui virtuti opposita, inter se forent æqualia: quæcumque enim aliquâ formâ privantur, æqualiter ipsâ

privantur: absurdum consequens; ergo, &c.

Nego sequelam, & ad probationem distinguo. Si privatio spectetur præcisè ut privatio, concedo. Si spectetur ratione subjecti magis, aut minùs idonei ad formam recipiendam, nego. Verbi gratiâ, avaritia dici debet vitium, prodigalitate pejus: quia voluntas per habitum avaritiæ, minùs idonea est ad recipiendum liberalitatis habitum, quàm per habitum prodigalitatis.

Instabis. Saltem sequeretur, peccata commissionis & omissionis, ejusdem esse speciei; quandoquidem essent privationes rectitudinis debitæ.

Nego sequelam. Privationes enim non differunt quidem, ratione sui, sed ratione formarum, quibus opponuntur: verbi gratiâ, surditas & cæcitas non differunt, prout sunt absentiæ; sed differunt ratione formarum, quibus opponuntur: quod sufficit, ut peccata differant inter se specie; nec enim peccatum commissionis opponitur eidem rectitudini, cui opponitur peccatum omissionis.

Conclusio tertia.

Bonitas & malitia humanorum actuum, æstimari debent, ab objectis & circumstan-

tiis. Bonum enim, ex integrâ causâ; malum autem, ex minimo defectu, hoc est, nulla actio potest esse moraliter bona, nisi habeat objectum bonum, finem bonum, bonasque circumstantias; ita ut si vel minima circumstantia mala sit, actio censeri debeat mala, sicut patebit, si fiat enumeratio: verbi gratiâ, furtum commissum ad pauperes sublevandos, malum est propter objectum; eleemosina propter vanam gloriam data, mala est, propter finem malum; confabulatio in Ecclesiâ mala est, propter circumstantiam loci, &c; ergo, &c.

Et certè, nonnunquam circumstantiæ peccati, speciem mutant: nam, verbi gratiâ, furari rem profanam in loco sacro, non est simplex furtum, sed sacrilegium, ob circumstantiam loci; proindeque, &c.

Circumstantiarum nomine, intelliguntur accidentia quædam, actiones humanas concomitantia; & septem vulgò numerantur, sequenti versiculo comprehensa.

Quis? quid? ubi? quibus auxiliis? cur?
quomodo? quando?

Ut solvatur quarta quæstio, notandum est, actus humanos, duplicis generis vulgò distingui, in specie & in individuo. Per actus humanos in specie, intelligunt eos,

in quibus habetur ſolummodò ratio finis interni & objecti; per actus autem humanos, in individuo, intelligunt eos, in quibus habetur ratio objecti, finis externi & omnium circumſtantiarum. Hâc diſtinctione præſuppoſitâ, docent Philoſophi, quoſdam actus humanos, ex naturâ ſuâ indifferentes eſſe, ſeu neque bonos, neque malos moraliter, ſi ſpectentur in ſpecie: at inter ipſos controvertitur, an actus quidam in individuo ſpectati, poſſint eſſe indifferentes?

Hanc actuum humanorum diſtributionem non admittimus; opponitur enim actuum humanorum definitioni, ab omnibus traditæ & receptæ; unde miſſâ hâc diſtinctione, ſit,

Concluſio quarta.

Nulli dantur actus humani, ex naturâ ſuâ indifferentes. Si enim actus humani, qui vocantur ab Adverſariis indifferentes, reipsâ ſint moraliter mali; profectò nulli dantur ejuſmodi actus: atqui res ſic ſe habet. Actus enim, tùm legi Divinæ, tùm legi naturali oppoſiti, reipsâ ſunt moraliter mali: atqui, &c. Opponuntur quidem legi Divinæ. Nam lege Divinâ tenemur Deum diligere ex totâ animâ, ex toto corde, & ex totis noſtris viribus: porrò,

qui produceret actus, quos Adversarii vocant, indifferentes, Deum non sic diligeret, quandoquidem actus suos, nec ad Deum, nec ad finem Deo subordinatum referret; ergo, &c. Opponuntur quoque legi naturali. Legi namque naturali tenemur agere, propter finem naturæ humanæ convenientem: at tales actus non fierent propter ejusmodi finem. Finis enim naturæ humanæ conveniens, debet esse honestus: at actus illi non fierent propter finem honestum, alioqui non essent indifferentes, sed boni; ergo, &c. proindeque, &c.

Objectiones.

Objicies. 1°. Ex Sancto Hyeronimo, inter bonum & malum, indifferens est ambulare, spuere, crines pectere, &c. Sive enim ea feceris, sive non, nec justitiam, nec injustitiam habebis; ergo, &c.

Nego consequentiam. Nam ambulare, spuere, &c. sunt tantùm varii motus, adeòque non sunt actus humani. Quod si motus illi fiant, ad animæ nutum, possunt esse moraliter mali: nam, verbi gratiâ, ambulare, vel tempore, vel in loco, quibus ambulare non licet; in alium hominem, operâ deditâ spuere, sunt actus moraliter mali; ergo, &c.

Objicies. 2°. Ideò nulli sunt actus hu-

mani indifferentes: quia tenemur Deum diligere, & ad ipſum omnes actus noſtros referre: atqui ad id non tenemur. Si enim eſſet aliquod ejuſmodi præceptum, hoc certè, *Deum diliges*, &c. atqui ad id nos non aſtringit hoc præceptum. Præcepta enim poſitiva, in hoc differunt à negativis, quod negativa obligent *pro ſemper*; poſitiva verò, non obligent *pro ſemper*; ergo, &c.

Nego minorem. Probavimus enim, ad id nos teneri, tùm lege Divinâ, tùm lege naturali. Ad probationem autem, nego etiam minorem, & diſtinguo hanc propoſitionem. Præcepta poſitiva non obligant *pro ſemper*, ex hypotheſi, quod non agamus, concedo. Ex hypotheſi, quod agamus, nego. Ob rationes ſuperiùs allatas.

Inſtabis, 1°. Præcepta Divina debent eſſe Chriſtianis omnibus nota, præſertim Doctoribus: at præceptum, de referendis omnibus actionibus noſtris ad Deum, multis Doctoribus non innoteſcit. Multi namque Doctores ſententiam noſtræ oppoſitam propugnant; ergo reipsâ nullum eſt præceptum, de referendis omnibus actionibus noſtris ad Deum.

Diſtinguo majorem. Præcepta Divina debent eſſe Chriſtianis omnibus nota, quantùm ad naturam ſuam, concedo.

Quantùm ad modum, quo ſunt ad praxim redigenda, nego. Nimirùm omnes quidem Doctores norunt, præceptum ſuprà laudatum, quantùm ad naturam ſuam, eſſe verum, quandoquidem eſt propoſitio à Deo revelata; ſed non omnes norunt modum, quo præceptum illud ad praxim ſit redigendum, hoc eſt, non omnes norunt, præceptum illud violari ab iis, qui non omnes actus ſuos ad Deum referunt; imò eo cæcitatis quidam devenerunt, ut palam docuerint, ad Chriſtiani ſalutem ſufficere, ſi per totam vitam ſuam, unicum actum amoris Dei produxerit.

Inſtabis. 2°. Præceptum naturale debet eſſe doctis & indoctis obvium: at præceptum de omnibus actibus ſuis, ad Deum referendis, non ſic eſt obvium; ergo non eſt naturale.

Diſtinguo majorem. Si præceptum illud ſit primum principium, concedo. Si ſit concluſio deducta ex aliquo primo principio, nego. Scilicet quando præcepta, prima ſunt principia, omnibus obvia ſunt & nota, qualia ſunt iſta; *alteri ne feceris, quod tibi fieri non vis. Reddendum unicuique quod ſuum eſt;* ſed ubi præcepta ſunt totidem concluſiones, ex aliquo primo principio deductæ, non omnibus nota ſunt & obvia: quia non omnes ritè deducunt

conclusiones ex primis principiis: porrò, præceptum superiùs laudatum, est solummodò conclusio deducta ex hoc primo principio. *Reddendum unicuique quod suum est.*

Instabis. 3°. Exindè sequeretur, hominem sæpissimè peccare; & jugum Christi, non esse suave.

Concedo primam sequelam: nam ex Scripturâ Sacrâ, *Justus septies in die peccat.* Nego autem alteram sequelam. Tùm quia nihil est suavius, quàm amore prosequi objectum summè amabile. Tùm quia non omnes actus nostros ad Deum explicitè referre tenemur, sed, ut aiunt, *virtualiter*, virtute præcedentis directionis: quod est facillimum; sufficit enim, si omnes actus nostros cujusque diei, ad Deum, ex voto referamus; quanquam tamen satius erit, identidem eos ad Deum explicitè referre.

Instabis denique. Nisi omnes actus nostros ad Deum explicitè referremus, non ipsum diligeremus ex toto corde nostro.

Nego sequelam. Cùm enim variis hujus vitæ negotiis distrahamur, non possumus de Deo, singulis momentis explicitè cogitare; nec proindè tenemur, omnes actus nostros ad ipsum explicitè referre: nemo quippe tenetur ad impossibile.

Objicies. 3°. Illa actio dici debet indifferens, ob quam homo, nec bonus, nec malus, ab aliis judicatur: atqui multiplex est ejusmodi actio; ergo, &c.

Nego majorem. Quamvis enim actus illi, sint in rei veritate, vel boni, vel mali moraliter; quia tamen bonitas illa, vel malitia, levis momenti vulgò judicatur; ideò usus invaluit, ut propter illos actus, homines, nec boni, nec mali dicerentur.

Objicies denique. Viatori nonnunquam quiescere licitum est; ergo cùm in hâc vitâ viatores simus, nobis quandoque quiescere licitum est, id est, neque ad Deum progredi, neque ab ipso regredi; ergo licitum est, actus quosdam indifferentes producere.

Distinguo antecedens. Si præceptum progrediendi non urgeat, concedo. Si urgeat, nego. Porrò, præceptum de omnibus actibus nostris ad Deum referendis, sic urget, ut si vel unus eorum, ad ipsum non referatur, eo ipso sit moraliter malus. Addo, nos in hâc vitâ nonnunquam quiescere, dum scilicet non agimus: at si agamus, necesse est, ut vel progrediamur ad terminum, vel ab eo regrediamur: quia hoc in casu, versùs Deum non progredi, est ab ipso regredi.

Quæres autem an, ut nonnulli conten-

dunt, omnes infidelium actus ſint totidem peccata?

Reſpondeo cum diſtinctione. Vel enim infidelium actus conſiderantur in ordine naturali, vel in ordine ſupernaturali, ſeu in ordine ad beatitudinem ſupernaturalem. Si ſpectentur in ordine naturali; contendo, non omnes infidelium actiones eſſe peccata. Tùm quia ex Apoſtolo, *gentes, id eſt, infideles, ea quæ ſunt legis, faciunt.* Tùm quia nemo tenetur peccata committere: at infideles ad actus quoſdam tenentur: verbi gratiâ, tenentur parentes ſuos colere, unicuique reddere quod ſuum eſt, & ſic de multis aliis actibus, per legem naturalem præſcriptis: evidens autem eſt, actus illos non eſſe peccata. Quod ſi actus infidelium ſpectentur in ordine ſupernaturali; utcumque, ſed impropriè, vocari poſſunt peccata, quatenùs carent rectitudine debitâ, relativè ad beatitudinem ſupernaturalem.

Quod attinet ad ultimam quæſtionem, ſuperiùs propoſitam, dico, 1°. regulas morum ad duas generales revocari poſſe, nimirùm ad legem & ad religionem; quamobrem de utrâque nunc eſt diſſerendum.

De lege. Quid ſit, & an ſit?

Legis nomen, tribus modis diverſis acci-

pitur. 1°. Pro principiis, juxtà quæ varias mundi partes ordinavit Deus: hoc sensu accipitur, Proverbiorum capite octavo, *quando certâ lege & gyro vallabat abyssos, & legem ponebat aquis.* 2°. Pro regulâ artefactorum, seu pro præceptis ab hominibus servandis, dum objectum aliquod conficiunt: ut ubi dicimus, *leges definitionum & argumentationum.* 3°. Pro regulâ morum, per quam nempe actus humani diriguntur ad honestatem: sola hæc postrema legis acceptio, hujus est loci.

Lex igitur, ut hîc accipitur, definiri solet à Jurisperitis, *ordinatio*, seu regula moralis, communitatem obligans, stabilis, & ad commune bonum constitura. Quatenùs dicitur, *ordinatio,* convenit cum consilio, & distinguitur ab aliis multis actibus, tùm intellectûs, tùm voluntatis, qui non sunt ordinationes. Quatenùs dicitur, *obligans*, distinguitur à consilio, rogatione & petitione, &c. Quatenùs dicitur, *obligans communitatem*, differt à certis præceptis, quæ vel privatum aliquem, vel paucos privatos obligant. Quatenùs dicitur, *ordinatio moralis*, differt ab ordinatione physicâ, quæ fit per impulsum specialem & physicum. Quatenùs dicitur, *stabilis*, distinguitur à mandato; mandatum enim certos habet durationis suæ li-

mites : contrà verò, lex durationem habet ſtabilem, donec ſcilicet, vel à Legiſlatore revocetur, vel ipſius objectum deſinat. Dicitur denique, *ad commune bonum conſtituta ;* & tunc diſtinguitur à privilegio, quod ad quorumdam tantùm privatorum utilitatem ordinatur.

Dices autem. 1°. Quædam leges non obligant, quales ſunt leges permiſſivæ dictæ ; quales ſunt etiam leges, quibus certarum rerum valor conſtituitur : verbi gratiâ, leges, quæ monetarum valorem præſcribunt ; ergo obligatio non pertinet ad naturam legis.

Nego antecedens. Niſi namque ſupradictæ leges obligationem quamdam inducerent, non ampliùs eſſent leges, ſeu non ligarent. Hinc 1°. leges permiſſivæ dictæ, obligant ſaltem, ne impediatur uſus eorum, quæ permittuntur ; hinc etiam leges, quibus rerum valor conſtituitur, eatenùs obligant, quatenùs ſubditi, res illas pro valore conſtituto recipere tenentur.

Dices. 2°. Lex antiqua, ſeu Moſaïca, fuit vera lex ; neque tamen fuit ſtabilis, quandoquidem deſiit ; ergo ad legem non requiritur ſtabilitas.

1°. Nego ſecundam antecedentis partem. Quoniam enim lex illa vetus conſti-

tuta fuerat ad totum illud tempus, quo Judæorum Respublica in statu suo erat permansura; & quoniam toto illo tempore vim obligandi habuit, idcircò verè fuit stabilis.

2°. Respondeo, legem veterem desiisse quidem, quantùm ad ceremonias, sacrificia, cæteraque alia legalia dicta: quia nimirùm desiit legalium illorum objectum, & apparuit alius Sacerdos, aliaque victima; sed contendo, legem veterem non desiisse, quantùm ad præcepta moralia. Sic enim loquitur ipse Christus; *Non veni solvere, sed adimplere legem:* & ut patet ex eo, quòd Decalogus vim legis adhuc retineat.

Existere leges, constabit ex dicendis, de variis earum speciebus.

Cur sit lex?

Causa finalis legis, duplex est distinguenda, *quæ, & cui.* Causa finalis, quæ, est bonum commune, ad quod lex ordinatur; lex enim solummodò constituitur, propter perfectam subditorum administrationem; unde si lex verteret in Reipublicæ detrimentum, eo ipso desineret esse lex. Causa finalis, cui, legis, sunt ipsi subditi, in quorum utilitatem & commodum lex tendit. Hinc Tyrannum & Regem hoc intercedit

discrimen, quod Tyrannus leges condendo, suam; Rex verò, subditorum utilitatem spectet.

Quæres autem, quomodò sit intelligendum vulgare hoc adagium; legis est, homines reddere bonos?

Respondeo, hoc non esse sic intelligendum, quasi lex ratione sui, det vires ad id, quod præscribit exequendum idoneas; dat enim solummodò notitiam eorum, quæ sunt, vel agenda, vel omittenda; sed eo tantùm sensu, quòd præcipiat bonum, & prohibeat malum.

At, inquies, potest quis legem adimplere, quamvis non sit moraliter bonus.

Distinguo propositionem. Si sic non agat, ex motivo virtutis, sicut lex intendit, concedo. Si agat ex illo motivo, nego.

Nulla alia est causa exemplaris legis, præter ideas, ad quas attendit Legislator.

Causa efficiens legis, duplex, suprema, & subordinata. Solus Deus, est suprema legis causa efficiens; pro suo namque summo dominio, in entia creata, imponere potest leges, sapientiæ suæ conformes. Princeps autem, in Monachiâ; Senatus in Aristocratiâ, & populus in Democratiâ, sunt causæ efficientes legum subordinatæ.

Subditi, quibus lex imponitur, sunt legis subjecta: porrò ad id requiritur, ut subditi vires habeant, ad legem implendam; nemo quippe tenetur ad impossibile.

Qualis sit lex?

Proprietates legis hæc vulgò numerantur, obligatio, mutatio, interpretatio, emendatio, promulgatio & acceptatio.

Obligatio legis, est necessitas moralis, aut agendi quod imperatur, aut omittendi quod prohibetur; moralis, inquam, quia lex non tam hominem ligat, quàm homo seipsum ligat, ad legis observationem.

Tria requiruntur ad legis obligationem. Primum, ut reipsâ sit justa & honesta; alioqui non esset regula morum. Secundum, ut in praxi sit possibilis, non tantùm absolutè, sed etiam habitâ ratione subditorum. Tertium, ut inserviat bono communi, quandoquidem bonum commune debet esse legis finis.

Quæres autem, an actio, quam lex imperat, debeat esse honesta, antecedenter ad legem latam?

Respondeo, 1°. legem universim versari debere circà honestatem, saltem negativam, id est, circà id, quod non sit inhonestum; alioqui subditi tenentur ali-

quid facere, simul & non facere.

Respondeo, 2°. si agatur de lege præcipiente, id quod imperatur, non semper esse debere honestum, antecedenter ad legem: quia, verbi gratiâ, nec honestum, nec inhonestum est, monetam esse hujus, aut illius valoris: at illud idem fieri honestum, quia tunc subditi ex obedientiæ motivo, possunt agere.

Mutatio legis duplex distinguitur, ab intrinseco & ab extrinseco. Primò quidem leges mutari possunt ab intrinseco: quia sicut Legislator habet vim leges condendi, sic & habet potestatem eas immutandi. 2°. Leges mutari possunt ab extrinseco, sive defectu subditorum, sive ex parte temporis: quia scilicet elapso tempore, legis durationi præscripto, cessat legis obligatio, sive ex parte objecti, si nimirùm objectum, aut evadat impossibile moraliter, aut Reipublicæ noxium; sive ex parte finis, quia sublato fine, cessant media.

Rursùs duplex est legis mutatio, altera quâ tollitur omninò; altera verò, quâ tollitur ex parte tantùm. Prior mutatio dicitur, modò irritatio, modò abrogatio; posterior verò dicitur, modò derogatio, modò dispensatio, modò suspensio, modò privilegium.

Irritatio legis, eſt ea mutatio, quâ ſpecialiter prohibetur à Legiſlatore, ne obligationem inducat: quod contingere poteſt, vel ex eo, quòd ii, à quibus fuit lata, ſufficientem non habuerint authoritatem; vel ex eo, quòd ſubditi legem non acceperint; vel ex eo, quòd deſit aliqua conditio, ad legem ſervandam requiſita.

Abrogatio legis, eſt ea mutatio, quâ lex anteà obligans, amittit vim obligandi: quod contingit, vel ex diuturnâ conſuetudine oppoſitâ, vel revocatione factâ, aut ab ipſo Legiſlatore, aut aliquo Superiore.

Derogatio, eſt actus, quo Legiſlator aliquem ſolvit à legis obligatione, dum interim lex illa pro cæteris ſubditis vim ſuam retinet, & tunc idem eſt ac diſpenſatio.

Suſpenſio legis, eſt ea mutatio, quâ legis obligatio, ad tempus aliquod tollitur, poſt tempus illud reditura: ut ſi tributi cujuſdam ſolvendi obligatio, per tres annos tollatur.

Privilegium definiri ſolet, lex favorabilis, aliquid alicui contrà jus commune tribuens. Dicitur *lex*, ex eo, quòd oriatur à Legiſlatoris voluntate; & quamvis immediatè reſpiciat privatorum quorumdam commodum, nihilominùs ad commune

bonum pertinet ; in quantùm regimen publicum postulat, ut privatis quibusdam de Republicâ benè meritis, aliquid speciale concedatur. Dicitur, *lex favorabilis* : quia si privatis onus aliquod imponeretur, non privilegii, sed pœnæ nomine donaretur. Dicitur, *aliquid tribuens contrà jus commune* : dici debuisset, *præter jus commune*, nec enim privilegium opponitur juri communi.

Interpretatio legis, est declaratio, quâ pronuntiatur, ipsius obligationem ad certos casus vel extendi, vel restringi : quod intelligendum est præsertim, de legibus humanis, quæ nonnunquam indigent interpretatione ; vel ex eo, quòd Legislator prævidere non potuerit casus omnes, qui poterant in posterùm occurrere ; vel ex eo, quòd lex de generalibus tantùm agat, in quibus proinde non omnes casus speciales cum suis circumstantiis continentur; vel tandem ex eo, quòd verba legis multiplicem patiantur sensum.

Notandum autem est, triplicem distingui legum interpretationem, *authenticam*, quæ petitur ab ipso Legislatore ; *usualem*, à locorum consuetudine petitam ; & *doctrinalem*, à doctrinâ & authoritate Jurisperitorum desumptam.

Quæres autem, 1°. an cuilibet privato liceat

liceat doctrinalem legum interpretationem tradere?

Respondeo, id iis tantùm esse licitum, quibus authoritate publicâ permissum fuit de jure respondere; alioqui nasceretur confusio, Reipublicæ tranquillitati noxia. Quoniam igitur in Republicâ benè ordinatâ, licitum non est, leges civiles ad arbitrium cujusque privati interpretari, sicut contendunt Calvinistæ; à fortiori, ad arbitrium cujusque privati, licitum non est legem Evangelicam interpretari.

Quæres, 2°. quomodò mentem & intentum Legislatoris detegere possimus?

Respondeo, multis modis id obtineri posse. 1°. Si habeatur ratio causæ finalis ipsius legis. 2°. Ex modo loquendi, Legislatori proprio. 3°. Ex antecedentibus & consequentibus, inter se collatis. 4°. Ex aliis legibus, in quibus similes locutiones usurpantur.

Emendatio legis, est interpretatio, quâ lex judicatur non obligans in aliquo casu, licet terminis universalissimis sit expressa, verbi gratiâ, lex generalis de reddendo deposito, quoties exigitur, judicata fuit non obligans, ad reddendum ensem Domino furioso.

Promulgatio legis, est publica ipsius denunciatio, seu, ut aiunt, *intimatio*, ad-

hibitis ſolemnitatibus quibuſdam, juxtà locorum conſuetudinem, & Legiſlatoris voluntatem ſervandis: hæc publica denunciatio abſolutè neceſſaria eſt, ut ſubditi ad ejus obſervantiam teneantur. Cùm enim lex obliget, per modum regulæ moralis, ſubditi priùs cognoſcere debent, quid ſit agendum, aut fugiendum, quàm ad id ſeſe aſtringant. Promulgatio non habet locum, dum agitur de lege naturali: quia cùm omnibus innoteſcat, aut innoteſcere poſſit, attendendo ſcilicet ad ideas, ſolemni promulgatione non indiget; unde promulgatio non eſt de eſſentiâ legis univerſim.

Acceptatio, eſt conſenſus à ſubditis datus, per quem ſeſe aſtringunt legis obſervationi.

Quæres autem, an conſenſus & acceptatio ſubditorum, prærequiratur ad legis validitatem?

Antequam reſpondeam, notandum eſt, Legiſlatorem, aut habere ſummum & plenum dominium, à ſubditis independens; vel habere poteſtatem, à ſubditis dependentem. Hoc notato,

Reſpondeo, Legiſlatorem habentem ſupremum & plenum dominium, à ſubditis independens, ferre poſſe leges, quæ validæ ſint, independenter à ſubditorum

acceptatione; Legiſlatorem verò, qui habet poteſtatem, à ſubditis dependentem, leges ferre non poſſe, quæ obligent, antecedenter ad ſubditorum acceptationem.

Quotuplex ſit lex.

Lex generatim triplex eſt, æterna, naturalis & poſitiva, de quibus ſingulis eſt dicendum.

De lege æternâ.

Lex æterna deſcribi ſolet, Divinæ ſapientiæ ratio, entia quævis creata dirigens in certos fines; quod ſic eſt intelligendum, ut ideæ Divinæ habeant adjunctam actionem Divinæ voluntatis, vel decernentis, vel præmoventis, ſive phyſicè, ſive moraliter.

Admittendam eſſe legem hanc, conſtare debet: tùm ex parte ſapientiæ Divinæ, cujus eſt ſingula quæque attingere: tùm ex parte hominum, qui propter ignorantiam & infirmitatem, indigent directione: tùm ex parte legum humanarum, quæ cùm ſint mutabiles & imperfectæ, ſupponere debent legem aliquam immutabilem & perfectam, cujus participatione redduntur, quantùm fieri poteſt, ſtabiles & perfectæ.

Dices. Ibi non eſt lex, ubi non ſunt

subditi, qui obligentur: atqui non extiterunt ab æterno subditi, qui obligarentur; ergo nulla fuit lex ab æterno.

Distinguo majorem. Ibi non est lex, in subditis, concedo. In Legislatore, nego. Distingue pariter consequens.

Instabis. Ibi non est lex etiam ex parte Legislatoris, ubi non est obligatio; ex nobis enim, ad legis essentiam pertinet obligatio: at nulla fuit obligatio ab æterno, quandoquidem nullus fuit, qui obligaretur; ergo, &c.

Distinguo majorem. Ubi non est obligatio activè sumpta, concedo. Passivè sumpta, nego. Porrò, nulla quidem fuit ab æterno obligatio passiva, seu non fuerunt ab æterno, qui obligarentur; sed ab æterno fuit obligatio activè sumpta, seu fuit ab æterno ratio Divinæ sapientiæ, obligans pro futuro.

At, inquies, ibi non est obligatio activa, ubi non est obligatio passiva.

Distinguo propositionem. Ibi non est obligatio activa sumpta pro actu, seu exercitio, concedo. Sumpta pro potentiâ, nego. Uno verbo, ratio Divinæ sapientiæ actu non obligavit ab æterno, sed ab æterno potuit obligare cum decreto, de actu obligandi pro futuro.

Proprietates legis æternæ, multiplicis

generis distinguntur. Prima, quòd mutari non possit: quia decreta Dei semel posita, revocari non possunt, sicut probatum fuit in Metaphysicâ. Secunda, quòd omnes causarum secundarum actiones ipsi subjiciantur: quia nimirùm omnes illos actus in certos fines dirigit. Tertia, quòd omnes aliæ leges ab ipsâ deriventur, ut constat, tùm authoritate Scripturæ Sacræ, his verbis: *Per me Reges regnant, & legum conditores justa decernunt*; tùm authoritate Sancti Augustini, *nihil est*, inquit, *in temporali lege justum, quod ab æternâ non derivetur.*

Quæres autem, quomodò cæteræ leges suam ab æternâ lege trahant originem?

Respondeo, cæteras leges ab æternâ derivari. 1°. Quantùm ad Legislatoris potestatem, juxtà illud Apostoli, *omnis potestas est à Deo.* 2°. Quantùm ad æquitatem, quam includunt: cùm enim lex æterna, prima sit in genere legum, debet esse cæterarum regula. 3°. Quantùm ad obligationem, quam inducunt: obligatio namque cæterarum legum, ortum ducit ab æternâ lege, quatenùs hæc jubet, ut legitimis superioribus obediamus.

De lege naturali.

Nomine legis naturalis, nihil aliud in-

telligendum est, præter congeriem idearum, quibus mediantibus, generalia morum præcepta cognoscimus. Quod autem nobiscum nascatur illa lex, quodque sit omnibus hominibus communis, probari potest, tùm ratione, tùm Scripturâ Sacrâ; ratione, quia quædam objecta ab hominibus ita judicantur bona, ut culpandus esset, qui ea non amaret; & quædam ita judicantur mala, ut vituperaretur, qui illa non odio haberet; unde necesse est, ut præter leges positivas, alia detur omnibus communibus. Præterea, probavimus, ideas omnes nobiscum fuisse natas: authoritate pariter Scripturæ Sacræ: nam in Psalmis sic legitur, *signatum est super nos lumen vultûs tui, Domine*: quem locum Patres interpretantur, de lege naturali; sic etiam loquitur Apostolus, *gentes, quæ legem non habent scriptam, naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt.*

Dices. Leges positivæ sufficiunt; ergo lex naturalis, est inutilis.

Nego antecedens. Tùm quia, sublatâ lege naturali, Legislatores non intelligerent, quid jubendum, prohibendum, aut permittendum esset. Tùm quia, sublatâ lege naturali, subditi nunquam cognoscerent, obtemperandum esse legibus positivis.

Circà proprietates & affectiones legis naturalis, quædam hîc inquiri solent.

Quæres igitur, 1°. an lex naturalis mutari possit & abrogari?

Respondeo, 1°. legem naturalem, spectatam ex parte subjectorum, mutari posse, quantùm ad existentiam: quia substantiæ creatæ intelligentes, contingenter existunt.

Respondeo, 2°. legem naturalem spectatam, quantùm ad veritatem, immutabilem esse: quia nempè solæ veritates essentiales, per ideas exhibentur.

Respondeo denique, Deum dispensare non posse ab obligatione, quæ per legem naturalem inducitur: quia rerum essentiæ sunt immutabiles, & ab ipsâ voluntate Divinâ independentes; hinc Deus homines dispensare non potest, ab obligatione Creatorem suum amandi.

Objectiones.

Objicies. 1°. Bonorum communitas, est de lege naturali: atqui tamen fuit mutata; ergo, &c.

Nego majorem. Bona enim ut bona, non includunt in ideâ suâ communitatem: communitas enim & singularitas, sunt inferiora, respectu boni universim; proindeque, &c. Et certè, homines ex naturâ

ſuâ nullum habent jus, in objecta circumſtantia; homo quippe nihil habet, quod ab alio non acceperit.

Objicies. 2°. cum Hobbs. Independentia unius hominis ab alio, eſt de lege naturali: atqui tamen hæc mutata fuit independentia; ergo, &c.

1°. Nego majorem. Homo namque, nec includit in ideâ ſuâ independentiam ab alio homine, nec eam excludit; unde Deus inſtituere potuit & reipsâ inſtituit, ut quidam homines ab aliis penderent: verbi gratiâ, ut liberi penderent à Parentibus; ſervi, à Dominis; ſubditi, à Principibus; uxores, à maritis.

2°. Diſtinguo majorem. Independentia phyſica, unius hominis ab alio, eſt de lege naturali, concedo. Independentia moralis, nego.

Objicies. 3°. Eſt de lege naturali, ut homo non interficiat alterum hominem.

Diſtinguo propoſitionem. Authoritate privatâ, & abſque periculo vitæ propriæ, concedo. Authoritate publicâ, vel juſſu ipſius Dei, nego.

Objicies. 4°. Contrà legem naturalem eſt, ut maritus multas habeat uxores: atqui tamen Deus diſpenſavit ab hâc lege; ut conſtat de Patriarchis, Abraham, Iſaac & Jacob; ergo, &c.

Nego majorem. Eſt quidem contrà legem naturalem, ut mulier multos habeat maritos; quia tunc matrimonii finis impediretur: at non eſt contrà legem naturalem, ſi maritus multas habeat uxores, ob rationem oppoſitam. Hinc eatenùs leges poſitivæ prohibent, ne vir multas uxores ſimul habeat; quia naſcerentur incommoda, tùm circà liberorum educationem, tùm circà uxorum concordiam.

Objicies denique. Furtum, eſt contrà legem naturalem: atqui Deus tamen diſpenſavit à furto; permiſit enim Iſraëlitis, ut Ægyptiorum vaſa ſecum auferrent.

Nego minorem. Cùm enim Deus ſit rerum omnium ſupremus Dominus, potuit vaſorum illorum proprietatem, ab Ægyptiis, ad Iſraëlitas transferre, qui proindè, Deo jubenti obtemperantes, furti crimine non fuerunt inquinati.

Quæres, 2°. quodnam ſit primum legis naturalis principium?

Reſpondeo, hoc eſſe primum illud principium, *declina à malo, & fac bonum.* Hujus enim propoſitionis veritas omnibus eſt obvia; & iſta propoſitio, eſt ultima ratio, quæ poſſit afferri, cur aliquis hoc, vel illud fecerit, hoc, vel illud effugerit.

Quæres, 3°. utrùm præcepta legis naturalis poſſint invincibiliter ignorari?

Respondeo, ipsa non posse invincibiliter ignorari. Tùm quia datâ, vel mediocri attentione, cuique facilè innotescunt, quandoquidem jugiter adsunt causæ occasionales attendendi ad ideas, quibus nituntur illa præcepta. Tùm quia præceptorum illorum ignorantia, non excusat à peccato.

De lege positivâ.

Lex positiva, dicitur ea, quæ de novo sancitur & promulgatur, pro liberâ Legislatoris voluntate: & duplex universim distingui potest, Divina & Humana.

De lege positivâ Divinâ.

Lex positiva Divina, duplex est, vetus seu Mosaïca, quam Deus dedit servis per servos; & nova, quam Deus dedit filiis, per filium suum unigenitum, Christum Dominum. Prior continetur in libris veteris Testamenti; posterior verò, in libris novi Testamenti. Theologorum est, afferre varia discrimina, quæ occurrunt inter utramque hanc legem: sufficit, si dicamus legem veterem in timore fuisse fundatam; novam autem in amore: cultorem veteris legis, fuisse servum, ancillæ filium; cultorem autem novæ legis, esse filium, ex

liberâ natum, sicut exposuit Apostolus.

Legis Mosaïcæ præcepta, triplicis erant generis; moralia, quæ dirigebant mores; ceremonialia, quæ rectum Dei cultum ordinabant; & judicialia, quæ judiciorum formam à Judicibus servandam præscribebant. Per legem Evangelicam, seu novam, abrogata sunt præcepta, tùm ceremonialia, tùm judicialia, sed remanserunt moralia; ita tamen ut ad ea servanda nòn astringamur, virtute legis veteris; sed vel quia fundantur in lege naturali, vel quia in lege novâ præscribuntur.

Præcepta veteris legis moralia, decem numerantur; unde *Decalogi* nomen; sequentibus versiculis exprimi solent.

Unum crede Deum, nec jures vana per ipsum.
Sabbata sanctifices, habeas in honore parentes;
Non sis occisor, fur, mœchus, testis iniquus,
Alterius nuptam, nec rem cupias alienam.

Quæres autem, 1°. quomodò lex illa vetus desierit, quantùm ad præcepta ceremonialia & judicialia?

Respondeo, ipsam desiisse, quoad ejusmodi præcepta, eo sensu, quòd vim obligandi amiserit. Responsio confirmatur authoritate Apostoli, asserentis legem illam evacuatam & reprobatam fuisse, nosque ab ejus servitute factos fuisse liberos. Et

certè, lex vetus ſpectata, quantùm ad illa præcepta, erat ſolummodò legis Evangelicæ figura; adeòque promulgatâ lege Evangelicâ, evaneſcere debuit illa figura.

At, inquies, lex vetus dicta fuit, *lata in æternum*; ergo dici non debet deſiiſſe.

Diſtinguo antecedens. Lata in æternum, quantùm ad veritatem figuratam, & quantùm ad præcepta moralia, concedo. Quantùm ad præcepta ceremonialia & judicialia, & quantùm ad vim obligandi, nego: ſicut conſtat ex verbis Apoſtoli.

Quæres, 2°. quandonam lex illa vetus deſiit?

Reſpondeo, 1°. legem veterem non deſiiſſe ante mortem Chriſti; ut conſtare debet ex eo, quòd ipſe Chriſtus conſtanter eam ſervaverit uſque ad mortem.

Reſpondeo, 2°. ipſam primariò deſiiſſe, ſtatim à morte Chriſti: quia tunc deſiit Sacerdotium vetus, & factus eſt novus Sacerdos, nempè Chriſtus; ſecundariò verò deſiiſſe, prout ſucceſſu temporis, præcepta novæ legis, Judæis & Gentilibus innoteſcere cœperunt.

Quæres, 3°. an lex Evangelica præſtantior ſit veteri?

Reſpondeo, legem novam, ex multiplici capite præſtantiorem eſſe veteri. 1°. Ratione promulgatoris: Chriſtus enim,

Longè præstantior est Moyse. 2°. Ratione præceptorum : præcepta namque Evangelica, longè propiùs accedunt ad perfectionem supernaturalem, quàm præcepta legis Mosaïcæ. 3°. Ratione universalitatis : lex enim vetus, ad solos Israëlitas pertinebat ; nova verò, ad omnes Terræ populos extenditur. 4°. Ratione durationis : lex enim vetus, lata tantùm fuerat, donec veniret Christus ; nova verò perseverabit usque ad sæculorum consummationem. 5°. Ratione victimæ : quia in lege veteri, offerebantur tantùm corpora belluina ; in novâ verò, offertur ipse Christus. 6°. Ratione efficaciæ : quia Sacramenta legis veteris, gratiam conferebant, non ex opere operato, sed ex opere operantis ; contrà verò, in lege novâ. 7°. denique. Ratione facilitatis : quia legis veteris jugum durissimum erat, & vix tolerandum ; jugum autem Christi suave est & leve.

De lege positivâ humanâ.

Lex positiva humana, dicitur ea, quæ fertur ex libero hominum arbitrio. Circà hanc legis speciem, quatuor hîc inquiri possunt. Primum, an hominibus insit potestas condendarum legum, quæ obligent in conscientiâ? Secundum, an ad legem

humanam requiratur promulgatio, seu publica denunciatio? Tertium, an Legislator suis astringatur legibus? Quartum, an melius sit, Rempublicam optimis legibus, quàm ab optimo Principe gubernari?

Ad primam quæstionem respondeo, 1°. quosdam homines universim, habere potestatem condendarum legum, quæ obligent in conscientiâ. Responsio confirmatur multis Apostoli testimoniis, ad Romanos capite 13, *qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit:* qui autem sic resistunt, sibi ipsis damnationem acquirunt. *Necessitate subditi estote, non solùm propter iram, sed etiam propter conscientiam; omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit*, &c.

Respondeo, 2°. Principibus Ecclesiasticis inesse potestatem ferendarum legum, quæ obligent in conscientiâ. Responsio petitur, tùm ex authoritate Scripturæ Sacræ. Sic enim legitur in Deuteronomio, *Qui superbus erit, nolens obedire Sacerdotibus, qui eo tempore serviunt Domino, ex decreto Judicis moriatur*; tùm ex praxi: nimirùm ad Ecclesiæ regimen, requiritur potestas condendarum legum, quæ obligent in conscientiâ, præsertim cùm religio longè magis consistat in voluntatis

affectu, quàm in externâ ſpecie.

Reſpondeo, 3°. Principibus ſecularibus ineſſe poteſtatem ferendarum legum, quæ obligent in conſcientiâ. Principibus enim ſecularibus ea debet ineſſe poteſtas, quæ neceſſaria ſit ad populos, in bonum commune dirigendos: atqui ad id neceſſaria eſt poteſtas ferendarum legum, quæ obligent in conſcientiâ: ſublato namque conſcientiæ motivo, multi ſeſe ab ordinatione publicâ, facilè ſubſtraherent.

Dices autem 1°. Sic legitur in Deuteronomio, *non addetis ad verbum, quod loquor vobis, neque quidquam minuetis ex eo;* ergo hominibus non ineſt poteſtas condendi leges, quæ obligent in conſcientiâ.

Explico antecedens. Non addetis ad verbum, quod loquor vobis, aliquid, vel quod legibus Divinis ſit contrarium, vel quod earum verba in ſenſum alienum detorqueat, concedo. Nihil addetis, per quod, vel extendantur leges Divinæ, vel ritè explicentur; nego. Niſi namque penès quoſdam eſſet authoritas explicandarum legum Divinarum, privatus quiſque, pro ſuâ utilitate, poſſet eas explicare: quod eſt abſurdum, ut ipſi Calviniſtæ tandem agnoverunt, ſuas inſtituendo ſynodos, in quibus certæ leges conſtituerentur.

Dices. 2°. Jacobi capite quarto sic legitur, *unus est Legislator & unus Judex, qui potest liberare & perdere;* ergo homines non sunt legislatores.

Explico antecedens. Unus est Legislator & unus Judex supremus & independens, concedo. Unus est, &c. quasi nulli sint supremo Legislatori subordinati, nego. Scilicet cùm Deus in hâc vitâ non immediatè, seu per ipsum dirigat, necesse est, ut quidam sint Legislatores, ipsi subordinati.

Notandum autem est, Jurisdictionem secularem, & Jurisdictionem Ecclesiasticam inter se sic discrepare, ut Principes seculares nullam legem Ecclesiasticam constituere possint; nec Principes Ecclesiastici leges ferre possint, quæ pertineant, sive ad secularem populorum administrationem, sive ad temporalia Regum bona.

Ad secundam quæstionem respondeo, promulgationem requiri, ut lex positiva humana subditos obliget; nulla quippe lex obligat, nisi sit vel nota, vel innotescere possit: porrò, lex humana, per solam promulgationem innotescere potest; proindeque, &c.

Ad tertiam quæstionem respondeo; 1°. Legislatorem suis non adstringi legibus, quando materia legis ipsum dedecet:

verbi gratiâ, si Rex ensis gestationem prohiberet, non idcircò teneretur ipse ensem deponere. Pariter, si quasdam ferret leges circà mechanicas artes, iis non adstringeretur; ut per se patet.

Respondeo, 2°. Legislatorem suis non adstringi legibus, præcisè ut suis, sive spectentur, quantùm ad vim coactivam, sive quantùm ad vim directivam: non quidem quantùm ad vim coactivam, quia nemo seipsum cogere potest; non etiam quantùm ad vim directivam; cùm enim Legislator subditos suos à lege dispensare possit: si quid contrà ipsam agat, seipsum dispensare censetur.

At, inquies, Reges nonnunquam peccant, si leges suas non servent.

Distinguo propositionem. Quando leges illæ fundantur, aut in lege naturali, aut in lege Divinâ, quas tunc violant, concedo. Peccant ex eo præcisè, quòd leges illas, ut suas, non servent, nego.

Ad quartam quæstionem respondeo, neque Principem solum, neque leges solas sufficere, ad optimum Reipublicæ regimen: quia nimirùm Princeps bono publico, sine legibus sufficienter providere non potest: & quia leges absque Principis authoritate, vigere non possunt.

Quæres autem insuper, an & quomodò lex humana mutari possit?

Respondeo, legem humanam fundatam, aut in lege naturali, aut in lege Divinâ, mutari non posse: quia tunc non pendet à libero hominum arbitrio. Quod si lex humana, neque in lege naturali, neque in lege Divinâ fundetur, mutationem quamlibet pati potest: quia tunc à libero Legislatoris arbitrio pendet.

Colliges, duplicem esse generatim legis humanæ speciem; Ecclesiasticam, quæ sancitur authoritate Principum Ecclesiæ; & civilem, quæ authoritate, vel Principis, vel Reipublicæ fertur. Utraque hæc species in multas alias subdistribuitur; sed de his differere, Theologorum est & Jurisconsultorum. Unum addam circà consuetudinem, quæ nonnunquam vim legis obtinet.

Consuetudo describi potest, frequens & repetita similium actuum exercitatio; ita ut ejusmodi similes actus dirigant ad finem, aut ab aliquâ lege intentum, aut alicui legi contrarium.

Quatuor autem requiruntur, ut consuetudo vim legis obtineat. Primum est, ut sit æquitas ex parte materiæ: nam consuetudo quidpiam agendi, quod sit, vel iniquum, vel inhonestum, nullam obligationem inducere potest. Secundum, ut consuetudo saltem implicitè contineat ef-

fectum obligatorium, ex parte subditorum. Tertium, ut notabilis sit diuturnitas in exercitio similium actuum humanorum: hæc autem diuturnitas, judicio Magistratuum erit definienda. Quartum denique, ut interveniat Principis, aut Reipublicæ consensus, saltem tacitus, qui semper præsumitur adesse, si consuetudini cognitæ non obsistat.

De religione.

Religio describi potest, Divini numinis cultus, certis ceremoniis & actibus distinctus. Cultus hic duplex distinguitur, exterior & interior. Cultus exterior perficitur sacrificiis & ritibus; interior verò, consistit præsertim in affectu. Evidens autem est, nullum esse posse numinis Divini cultum, nisi numen Divinum innotescat.

Certum autem est, 1°. Deum ab homine quovis cognosci posse: quia nempè cuilibet homini, Divinitatis idea fuit impressa, & adsunt innumeræ causæ occasionales, ad ideam hanc attendendi, quales sunt infirmitas naturæ humanæ, statûs felicioris ardens desiderium, mirabilis partium mundi dispositio, &c. Hinc inexcusabiles sunt multi Pagani, qui cùm Deum cognovissent, ipsum sicut Deum non glorificaverunt.

Certum est, 2°. hominem nihil habere, quod non acceperit ab eo ente potentissimo, à quo suam accepit existentiam, ipsumque ab eodem ente optimo, longè plura alia recipere posse; unde quilibet homo tenetur, ens illud laudare, ipsi pro beneficiis acceptis grates referre, & ipsum orare, ut bona quibus indiget, obtineat.

Religio, quæ solummodò consistit in officiis mox assignatis, vocatur Religio naturalis, ex eo quòd, absque revelatione Divinâ, & solo lumine naturali duce, Deum cognoscere possimus, & officia supradicta adimplere.

Quoniam autem experientiâ constat, innumeras alias religioni naturali fuisse superadditas; & quoniam non possunt esse omnes legitimæ, utpotè inter se pugnantes; ideò difficultas est, quænam ex iis omnibus, & voluntati Divinæ, & religioni naturali, sit magis conformis?

Contendimus autem, 1°. legem Mosaïcam dictam, duplici hâc dote fuisse decoratam. 2°. Legem Christianam, seu Evangelicam, quæ Mosaïcæ successit, Divinæ voluntati magis esse adhuc consentaneam, ipsamque religionis naturalis ultimum & perfectum esse complementum.

Quamvis utriusque hujus religionis veritas certissimè innotescat, tùm ex lectio-

ne veteris & novi Testamenti, tùm Ecclesiæ Catholicæ decretis, tùm denique gratiâ Divinâ, in cordibus nostris operante: non tamen erit inutile quædam proferre motiva, quibus utriusque religionis illius veritas, per lumen naturale detegatur. Scilicet cùm homo sit ratione præditus, & teneatur esse prudens, eam amplecti debet religionem, cujus rationem reddere possit. Prætereà, obstruendum est os loquentium iniqua, hoc est, eorum, qui contendunt, religiones illas esse solummodò politicæ fœtum. Denique, quoniam Philosophia Moralis dirigit actus humanos ad honestatem; & quoniam utraque illa religio præstantissimas suppeditat regulas, quibus actus humani dirigantur; idcircò Philosophus Moralis religionum illarum veritatem & sanctitatem detegere ac manifestare tenetur. Sit igitur,

Ostenditur veritas religionis Mosaïcæ.

Ut ordine procedat hæc probatio, propositiones quasdam præmittemus, per modum lemmatum.

Prima propositio.

Lex aliqua potuit addi legi naturali. Nam ad hoc sufficit, 1°. quod Deus sit

ſummè potens, ſummè bonus, & conſequenter capax hominibus longè plura beneficia præſtandi, quàm reipsâ præſtitit, animas noſtras creando. 2°. Quòd præter naturalia præcepta, quædam alia præſcribi poſſint: atqui hæc omnia ſic ſe habent; ut conſtat, tùm ex dictis in Metaphyſicâ, tùm ex eo, quòd in ſingulis circumſtantiis, lex naturalis plerumque non præſcribat, quid ſit agendum, aut omittendum; proindeque, &c.

Secunda propoſitio.

Conveniens fuit, ut Deus religioni naturali novam ſuperadderet. Cùm enim homines, ſibi relicti, turpiter ſervirent appetitui ſenſitivo, nefanda, pro virtutibus haberent, & ignari jacerent in umbrâ mortis; maximè conveniens fuit, ut à pravis illis affectibus, & illâ ignorantiâ revocarentur; alioquin homo, propter Deum cognoſcendum & amandum creatus, finem ſuum nunquam obtinuiſſet; nec enim Deus poſſideri poteſt ab iis, qui operantur iniquitatem; proindeque, &c. Nec dicas cum nonnullis, convenientiam illam eſſe futilem: quia nimirùm exindè ſequeretur, homines eſſe in aliquali pretio apud Deum: quod abſurdum judicant. Major enim eſt, inquiunt, diſtantia, hominem inter &

Deum, quàm muſcam inter & Regem. Ne, inquam, id dicas: quamvis enim longè major ſit diſtantia, hominem inter & Deum, quàm muſcam inter & Regem; nihilominùs Deus longè aliter ſe habet erga hominem, quàm Rex potentiſſimus erga muſcam. Scilicet Deus creavit, & jugiter conſervat homines; Rex autem, nec creavit, nec conſervat muſcas. Deus entibus omnibus providet, & omnia neceſſariò cognoſcit; Rex verò, perpauca tantùm curat, nec de omnibus cogitare poteſt. Deus animam rationalem ad imaginem ſuam creavit, id eſt, cognitionis & volitionis capacem; Rex verò, muſcas ad imaginem ſuam non effinxit; proindèque, &c.

Tertia propopoſitio.

Lumen naturale, adeòque religio naturalis, propter unionem animæ cum corpore, valdè fuit debilitatum. Hæc propoſitio conſtare debet; tùm ex eo, quòd per experientiam quotidianam deprehendamus, hominem in voluptates ſenſiles eſſe valdè proclivem; tùm ex eo, quòd multi homines cupiditatum ſuarum tandem fiant ſervi; tùm quia, ſi homo rectæ rationis dictamen ſequi velit, perpetuam experiatur pugnam, partem ſuperiorem

inter & inferiorem; tùm denique, ex eo quòd imbecillitatem hanc naturæ humanæ agnoverint, vel ipsi Pagani; proindeque, &c.

Et certè, si reflectamus in statum eorum hominum, quibus non affulsit lumen religionis à Deo revelatæ; tunc lumen naturale penè extinctum deprehendemus. Enim verò, non unicus tantùm populus, sed omnes ferè homines turpissimis obsequebantur passionibus; tam numerosam Deorum multitudinem invexerant, ut alii Solem, alii Lunam, alii alia sydera adorarent; imò vilioribus quibusque corporibus, aliquid Divinitatis inesse crederent; & quod pejus fuit, criminibus suis altaria erigerent, ebrietati nempè, sub nomine Bacchi; impudicitiæ, sub nomine Veneris; furto, sub nomine Mercurii, &c. Jupiter ipse, quem Deorum maximum vocabant, famosus fuit adulteriis, incestu, aliisque facinoribus, quæ à Christianis nominari vetat Apostolus; ergo religio naturalis, valdè fuit obscurata, & consequenter maximè conveniens fuit, ut alia religio à Deo revelaretur; proindeque, &c.

Quarta propositio.

Deus novas leges religioni naturali re-

ipsâ

ipsâ superaddidit. Si enim in illâ generali populorum omnium cæcitate, qualem mox exhibuimus, extiterit in angusto Terræ spatio populus quidam, licet duræ cervicis, & ad idololatriam valdè pronus, qui tamen habuerit legem scriptam, rectæ rationi conformem, & varios Divinitatis caracteres importantem; profectò populus ille, non à seipso, sed à Deo leges illas accepisse dicendus est: atqui hæc omnia sic se habent, respectu populi Israëlitici; sicut constat ex lectione historiarum & annalium illius populi, & ut mox ostendetur; proindeque, &c.

Conclusio.

Lex Mosaïca dicta, legi naturali fuit ab ipso Deo superaddita. Illa namque lex, ab ipso Deo legi naturali fuit superaddita, quæ certissimos divinitatis caracteres præ se fert: atqui lex Mosaïca dicta, sic se habet; ut ex enumeratione quorumdam caracterum fiet manifestum. Primus caracter sic se habet. In lege Mosaïcâ, quæcumque de Divinitate proferuntur, rectæ rationi sunt maximè consona: unicus quippe Deus admittitur, qui sit spiritus necessariò existens, Creator cœli & Terræ, summè providus, æternus, omnipotens, summè justus, summè sapiens, &c. aliundè verò,

populus Iſraëliticus ſcientias non excolebat, adeòque veritates illas non excogitavit. Secundus caracter ſic ſe habet. Lex Moſaïca ſcribitur ſtylo, veritatem redolente: dum enim ex unâ parte, recencentur benedictiones & promiſſiones à Deo factæ; ex alterâ, exhibentur & exprobrantur vitia populi Iſraëlitici; unde nulla occurrit adulationis ſuſpicio. Tertius caracter ſic ſe habet. Religio Moſaïca fundatur in factis certiſſimis, & extraordinariam Dei providentiam arguentibus: nimirùm legitur in illâ lege, 1°. populum Iſraëliticum, ab Ægyptiorum ſervitute fuiſſe liberatum, Moſe duce, munus hoc diu recuſante. 2°. Moſen, eo fine Pharaonem Ægypti Regem adiiſſe, multaque in ejus conſpectu patraſſe prodigia. 3°. Totam Ægypti regionem, variis, ſtupendiſque plagis fuiſſe afflictam. 4°. Ægyptiorum primogenitos, unâ nocte, inviſibili potentiâ fuiſſe obtruncatos, ex eo ſcilicet quòd Pharao non ſineret Iſraëlitas abire. 5°. Populum Iſraëliticum, ſicco pede, trajeciſſe mare rubrum, in quo poſteà Pharao cum exercitu ſuo numeroſo fuit ſepultus. 6°. Iſraëlitas, per annos quadraginta, vixiſſe in deſerto ſterili & arido, ubi ſingulis diebus, alebantur mannâ, è cœlo decidente, & bibebant ex aquis, quas

Moses eduxerat è petrâ. 7°. Chore, Dathan & Abyron, adstante omni populo, flammis, è terrâ prorumpentibus, cum sequacibus suis subitò fuisse consumptos. 8°. Israëlitas, sicco pede, Jordanum trajecisse. 9°. Mœnia urbis Jericho, solo tubarum sonitu, fuisse subversa, &c.

Ejusmodi facta certissimè probant, Deum tunc præter naturalem rerum ordinem, egisse; aliundè verò, facta illa non possunt esse falsa. Quantumvis enim callidus supponatur Moses, & quantumvis stupidus supponatur populus Israëliticus; nemo tamen sanæ mentis, suspicari poterit, sexcenta hominum millia & ampliùs, decepta fuisse, circà facta tam numerosa, tamque sensibus obvia.

At, inquies, Moses Judæorum benevolentiam captaverat; ut patet ex eo, quòd, quæcumque referuntur à Mose, cedant in honorem illius populi; adeòque mirum non est, si Judæa gens, ipsi fidem dedisse videatur.

Quamvis Moses Israëlitici populi benevolentiam captasse supponatur, fieri tamen non potuit, ut tanta hominum multitudo, conspiratione factâ, decreverit factis chimericis fidem esse dandam: verbi gratiâ, occisioni primogenitorum Ægypti, duræ Philistinorum vexationi: Ægyptii

namque & Philistini, populum Israëliticum insignis imposturæ accusassent. Prætereà, Moses narrat Judæorum seditiones, idololatriam, ingratum eorum animum erga Deum, ipsos vocat, *populum duræ cervicis*, aliaque multa refert, quæ dici tantùm possunt de populo nefario: at his omnibus, non captatur benevolentia, imò nisi ista omnia fuissent vera, nunquam populus iste permisisset, ut posteritati mandarentur.

Quartus caracter sic se habet. In lege veteri sunt Prophetiæ, seu vaticinia, quæ apertè quædam ventura prænuntiant, qualia fuerunt excidium urbis Jerosolymitanæ, Judæorum captivitas apud Babylonios, imperii Medorum subversio. Inter has prophetias, una prænuntiat futuram conceptionem hominis, ex Virgine nasciturі, designando tempus & locum hujus nativitatis, hominis illius familiam, Præcursorem, ministerium, Discipulos, doctrinam, mortem, mortisque genus & circumstantias, sepulturam, resurrectionem, & ascensum in cœlos, &c. Cùm igitur hæc omnia eo modo contigerint, quo fuerunt prænuntiata; necesse est, ut ejusmodi vaticinia fuerint divinitùs afflata.

Postremus hic caracter non tantùm probat veritatem legis veteris, sed & veri-

tatem legis novæ. Nimirùm, si vera non esset religio nova, seu Christiana, hoc est, si quæcumque prænuntiata sunt, reipsâ non fuerint adimpleta, falsa sunt vaticinia; si verò fuerint adimpleta, certissima sunt illa vaticinia; proindeque, &c.

Ostenditur veritas religionis Christianæ.

Antequam religionis hujus veritas probetur, quædam enumeranda sunt facta, satis illustria.

Quidam nomine Jesus, genere Judæus, natus in urbe Bethleem, filium Dei se fecit, & credi voluit, asserens se in hunc mundum venisse, ut salvaret oves, quæ perierant: pauper fuit, nec habuit, ubi reclinaret caput. Publicanos & piscatores, indiscipulos assumpsit; multa patravit miracula, non clam & in occulto, sed palam & adstantibus infensissimis suis hostibus; scilicet cæcis à nativitate, visum restituit, surdis auditum, mutis loquelam, morbos cujusvis generis sanavit, vel eos, qui judicabantur ab omnibus insanabiles, mortuos ad vitam revocavit, tempestates & maris agitationes voce compescuit. Quinque panibus & aliquot pisciculis quinque hominum millia saturavit; apprehenditur

ab iis, quorum mores emendare conabatur: crucifigitur & deponitur in tumulo, cujus custodiæ præficiuntur milites ab iis, qui ipsum occiderant: momento mortis ejus, contigit ingens terræ motus. Sol, præter leges ordinarias, fuit obscuratus, multique mortui, ad vitam revocati, per vicos & plateas urbis Jerosolymitanæ discurrerunt: paulò post, ipsius Discipuli palam prædicant, ipsum à mortuis surrexisse, seque cum ipso multoties fuisse collocutos, ac tandem eum in cœlum ascendisse, adstantibus plusquam quingentis hominibus. Iidem Discipuli, qui tempore mortis magistri sui, timidi fuerant & ignari, tam audacter posteà profitentur, Dominum suum à mortuis surrexisse, eumque verum esse Messiam, per Prophetas prænuntiatum, ut sive capti, sive virgis cæsi, sive feris expositi, nunquam ab hâc opinione deturbari potuerunt. Præterea, licet iidem Discipuli rudes fuerint & ignari, variis tamen locuti sunt linguis, & legis veteris sensum longè clariùs exposuerunt, quàm ipsi legis Doctores. Patrabant miracula, & virtutem hanc aliis hominibus communicabant; tandem religio, quam Magister & Discipuli docuerunt, non politicâ, non eloquentiæ viribus, non Principum autho-

ritate; imò contrà Principum omnium authoritatem, sed solâ præceptorum & factorum expositione, per omnes ferè terræ populos fuit diffusa.

Ex his factis, sic eruitur religionis Christianæ veritas. Modò facta mox enumerata certissima sint, nec possint esse certa, quin religio Christiana fuerit ab ipso Deo legi naturali superaddita; profectò vera est religio Christiana: atqui res sic se habet. Primò quidem certissima sunt facta superiùs enumerata. Quando enim facta quædam, unanimiter narrantur à viris diversæ religionis, diversarum ætatum, &c. & quoties ejusmodi facta non contradicuntur ab iis, quorum maximè intererat, ut essent falsa; toties illa facta pro certissimis sunt habenda; nec enim aliter sumus certi de factis quibuslibet historicis: atqui facta superiùs enumerata, sic se habent; ut colligitur ex lectione quatuor Evangelistarum & actuum Apostolorum; tùm ex variis eorum epistolis, ad diversos populos scriptis, & quidem immediatè post ejusmodi factorum eventum; tùm ex historiâ ipsius Josephi Judæi: aliundè verò, factorum illorum veritati nullus Judæorum contradixit, quamvis essent Discipulorum Christi hostes infensissimi, & eorum maximè interesset, ut falsa forent illa facta.

2°. Facta illa non possunt esse veræ, quin religio Christiana sit quoque vera. Si enim vera sint ejusmodi facta, necesse est, ut Deus, præter leges ordinarias, tunc egerit; nec enim, juxtà leges ordinarias, mortui revocantur ad vitam: quamobrem lex ejusmodi factis fundata, suam ab ipso Deo trahit originem; ergo, &c. proindeque, &c.

Et certè, vera est religio Christiana, si Christus, ejus author, ante mortem suam quædam prænuntiaverit, quæ reipsâ fuerunt adimpleta: atqui, &c. Prænuntiaverat enim futuram subversionem urbis Jerosolymitanæ, futuramque Judæorum dispersionem inter gentes, & varios populos, absque imperio, Sacerdotio, &c. ita ut futuri essent apud omnes in contemptu: atqui hæc omnia sic evenerunt; proindeque, &c.

Præsens argumentum eleganter & fusè tractatur in opere inscripto, *la vérité de la Religion Chrétienne, authore Abbadie.*

Veritate religionis Christianæ sic probatâ, consequens est, ipsam actuum humanorum esse debere regulam; adeòque præcepta omnia, in libris novi Testamenti contenta, totidem esse leges diligenter servandas.

Quotuplex sit actus humanus.

Variæ distributiones actuum humanorum superiùs fuerunt traditæ : quoniam autem docuit Hobbs, ex solâ hominum opinione, soloque præjudicio oriri, ut quædam judicentur, vel bona, vel mala moraliter; idcircò hîc inquiri potest, an quædam sint, in rei veritate, de se, vel bona, vel mala moraliter ?

Dico autem, contrà hunc Authorem, quædam reipsâ de se moraliter esse bona; quædam verò, de se mala. Non oritur enim à præjudicio, ut grati simus erga eos, à quibus accepimus beneficia. Per sensum enim intimum constat judicium, quo pronuntiamus, nos ad id teneri, idearum nostrarum intuitu niti; cùm igitur acceperimus omnia à Deo; actus, quo grates ipsi referimus, de se bonus est moraliter; & odium erga conditorem illum optimum, ex naturâ suâ, malum est; proindeque, &c. Et certè, si valeret opinio Hobbs, impietas erga Deum, parricidia, mendacia, cæteraque hujus generis scelera, nullatenùs essent rectæ rationi contraria; hypocrisis foret virtus; pietas, fides, justitia, &c. dici possent totidem crimina; uno verbo, totius vitæ moralis & civilis fundamenta, totidem essent er-

rores: atqui hæc omnia sunt absurda & horrenda; proindeque, &c.



MORALIS
PARTICULARIS.

HÆc Philosophiæ pars versatur, ut diximus, circà actus humanos specialiter sumptos; & distribuitur in monasticam, œconomicam & politicam, de quibus superest agendum.

Monastica.

Tria hîc præstabimus. 1°. Agemus de pietate, & probitate hominis privati. 2°. Quædam dicemus de eligendo vitæ genere. 3°. Inquiremus, utrùm homini privato liceat, illud vitæ genus eligere, quod ad bonum publicum non tendat?

De pietate & probitate hominis privati.

Pietas, ut hîc accipitur, describi potest, vera Numinis cognitio, debitusque ipsius cultus. Hinc ad pietatem duo requiruntur,

cognitio scilicet, & cultus veri Numinis: De Deo, inquit Sanctus Augustinus, optimè judicare, pietatis est exordium; & ipsum cognitum piè, purèque venerari, complementum.

Probitas, est vivendi ratio honestati conformis; unde probitas in interiori præsertim affectu posita est, & consequenter quiquid vel gestu, vel voce, vel alio quovis signo, sine tali interiori affectu manifestatur, hypocrisis est, & planè Pharisaïca probitas.

Rectus Numinis cultus, vocari solet, *actus religionis*. Contrà hunc actum peccari potest, & per excessum, & per defectum. Peccatum per excessum, vocatur superstitio; per defectum autem, impietas. Religionis actus, duplex est; interior, qui voluntatis actibus perficitur; & exterior, qui consistit in quibusdam corporis motibus: uterque requiritur ad veræ religionis professionem.

Tres numerantur interiores religionis actus, nimirùm oratio, devotio & votum. Oratio, ut hîc accipitur, est actus mentis, aliquid ritè consideratum, à Deo petentis: hæc descriptio colligitur ex sequentibus Damasceni verbis. Oratio, est ascensus mentis ad Deum, & petitio eorum, quæ desunt.

Christus Dominus in oratione, quam ipse nobis præscripsit, non solùm quæ desiderare & expetere debeamus, nos docuit; sed & ordinem, quo desideranda sunt & expetenda, constituit. Scilicet verum finem ultimum nostrum imprimis desiderare debemus: deinde media, quibus finem illum obtinere possimus. Hinc necesse est, 1°. ut cognoscamus, solum Deum esse finem nostrum ultimum; unde *Pater noster, qui es in cœlis.* 2°. Ut ejus glorificationem exoptemus; unde, *sanctificetur nomen tuum.* 3°. denique. Ut ejus possessionem ardenti studio prosequamur; unde, *adveniat regnum tuum.* Quod attinet ad media, quibus finem ultimum obtinere possimus, lex naturalis præscribit, ut expetamus ea, quæ nobis desunt, & nobis reipsâ sunt convenientia; eaque fugiamus, quæ nobis esse possunt noxia. Jam verò, expetenda duplicis sunt generis, aliud nempè principale, seu primarium, ut nempè voluntates nostræ, Divinæ voluntati sint conformes; unde, *fiat voluntas tua, sicut in cœlo & in terrâ;* aliud verò minus principale, & velut accessorium, ut conservetur vita nostra, sine quâ nihil possumus mereri; unde, *panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* Fugienda duplicis sunt pariter generis, peccatum &

tentatio: per peccatum, arcemur à regno Dei; unde, *dimitte nobis debita nostra.* Per tentationem autem, avertimur à mandatorum Divinorum observatione; unde, *& ne nos inducas in tentationem.*

Ex hâc oratione, præcipua religionis Christianæ præcepta deduci possunt. Primò, namque non ritè se gerunt, qui postulant à Deo bona fortunæ, valetudinem, cæteraque bona temporalia, tanquam finem suum ultimum: agunt enim contrà hoc mandatum. *Quærite primùm regnum Dei & justitiam ejus, & cætera vobis adjicientur.* 2°. Per has voces, *Pater noster*, detegimus, omnes homines esse fratres; unde eruuntur officia, tùm superiorum erga inferiores, tùm divitum erga pauperes. 3°. Ex his verbis, *adveniat regnum tuum*, colligitur, in nobis esse debere firmam felicitatis æternæ spem, cum vehementi ejus obtinendæ desiderio conjunctam; ex quo fit, ut bonorum omnium creatorum paulatim nascatur contemptus: 4°. Seriò perpendere debemus hoc motivum, *sicut & nos dimittimus debitoribus nostris*: ne fortè ex ore nostro judicemur. 5°. denique. Cùm dicimus, *& ne nos inducas in tentationem*, caveamus, ne tentationibus obviam eamus, & ne alios tentemus, seu ad malum sollicitemus.

Devotio, est prompta voluntas ritè exequendi, quæcumque pertinent ad cultum Divinum. Duplex autem est devotionis causa, exterior scilicet, nempe Deus, qui quem vult religiosum facit; & interior, nempe sedula meditatio, tùm Divinæ voluntatis, tùm infirmitatis nostræ, & ardens desiderium exequendi, quæcumque mandata sunt à Domino.

Votum, est promissio quædam, Deo facta. Promissionem hanc antecedere debet matura deliberatio, circà id quod vovetur; & ipsam subsequi debet ipsius expressio, vel voce, vel gestu, vel scripturâ facta. Duplex à Theologis distinguitur votum, simplex scilicet, & solemne. Unum diligenter est notandum circà vota ipsa, scilicet non esse temerè emittenda & emissa diligenter ac fideliter esse reddenda, juxtà illud Scripturæ Sacræ, *vovete, & reddite Domino Deo vestro.*

Exteriores religionis actus numerantur præsertim quatuor, adoratio, sacrificium, laudatio & juramentum. Ubi notabis ejusmodi actus, hypocritarum esse, nisi sint cum interioribus conjuncti.

Adoratio, est corporis ad Deum colendum facta submissio, quæ diversa est pro diversâ populorum consuetudine.

Sacrificium est actus, quo Deo, ut

primæ causæ, dona quædam offeruntur. Hic actus fundatur in lege naturali: quia, inquit Sanctus Thomas, ex lege naturali procedit, ut quemadmodùm Dominis temporalibus quædam offeruntur, in recognitionem dominii; sic res quasdam sensiles offeramus Deo, in signum subjectionis & honoris debiti. Hinc in lege Mosaïcâ, multa sacrificia fuerunt instituta. Hinc lex nova, seu Christiana, magnificentissimum habet sacrificium, agnum scilicet sine maculâ, nempè Christum ipsum, qui Patri quotidiè, tanquam oblatio munda, offertur pro peccatis nostris; ita ut hoc sasacrificium incruentum, memoriale sit cruenti crucis sacrificii, in quo summus ille Sacerdos, peccati chyrographum delevit.

Laudatio fit, non ut Deo manifestemus, quænam nostra sit de ipso opinio: quippe scrutator est cordium, sed ut nosmetipsos & adstantes, ad Dei cultum & amorem excitemus: atque hinc est, quod instituta fuerint templa publica, in quibus Deus palam laudaretur. Cavendum autem est diligenter, ne in laudantes cadant hæc verba; *hic populus labiis me honorat, cor autem eorum longè est à me.*

Juramentum, est assumptio Numinis Divini, ad id, quod enunciatur, firmissi-

mo testimonio confirmandum. Hinc jurare, nihil aliud est, quàm Deum testem invocare. Ut autem sanctum sit juramentum, tres adesse debent conditiones, judicium, veritas & justitia. Primò quidem judicium, seu authoritas Judicis, intervenire debet, ne scilicet homo temerè & absque necessitate juret. 2°. Requiritur veritas, ne falsum jurejurando confirmemus. 3°. denique, Requiritur justitia, ne scilicet detrahatur de jure alieno. In his autem omnibus circumstantiis, de factis tantùm potest quis jurare, sive præteritis, sive præsentibus, sive futuris, dummodò hæc sint in ipsius potestate: verbi gratiâ, potest quis jurare, neminem à se fuisse interfectum, se nihil mali pro præsenti cogitare, & se legem aliquam, Deo dante, servaturum.

Ut perfecta sit hominis privati probitas, amor Dei conjunctus esse debet cum amore, tùm sui, tùm proximi. Ut autem amor sui, qui naturalis est, justus sit & utilis, 1°. homo omnem malitiam abjicere debet. 2°. Debet immunem à peccatis se custodire; *qui enim animam suam aliter servat, perdet eam.* 3°. Corpus suum, nec otio frangere, nec molliter curare debet; *nihil enim mollitie & desidiâ potest excogitari noxius.* 4°. Labore & exercitio corpus suum

ſovere & corroborare tenetur homo, præſertim in ætate juvenili, ut vel diſciplinis ediſcendis, vel bello, vel negociationibus, vel aliis publicis muneribus obeundis reddatur idoneus. 5°. denique, Senſibus ſuis perpetuam velut cuſtodiam imponere debet: vitia namque per organa corporis quaſi ſerpunt, & altos agunt in imaginatione radices, quibus deinceps anima turbatur, & in malum inclinatur.

Quod attinet ad amorem proximi, varias ejus dotes exponemus poſteà: interim hoc eſto generale principium. Sponte reddendum unicuique, quod ſuum eſt.

De eligendo vitæ genere.

Poſtquam adoleſcens ad eam pervenit ætatem, in quâ ratio incipit eſſe conſtans & matura, maximum habet munus impoſitum; ſcilicet illud vitæ genus eſt eligendum, in quo ſuos omnes actus, juxtà rectæ rationis præſcriptum producere poſſit; nihil enim eſt à rectâ ratione magis alienum, quàm nullum vitæ genus eligere, ſeu ſemper in incerto fluctuare.

Quoniam autem vitæ genus non eſt temerè ſeligendum, & quoniam in adoleſcente, nondum eſt rerum uſus; ideò ratio poſtulat, ut viros prudentes & probos conſulat, quibus propenſiones ſuas,

ſuos intimiores ſenſus, ſuaſque cogitationes libenter & candidè patefaciat : ejuſmodi namque homines, ſunt velut organa, quibus Deus voluntatem ſuam manifeſtare ſolet. Enim verò, ſi dum agitur de fortunis noſtris conſervandis, conſulamus Juriſperitos, vel in rerum humanarum uſu verſatiſſimos; quantò magis dum agitur de animâ noſtrâ, in æternum ſervandâ, viros probos & peritos conſulere tenemur.

In eligendo vitæ genere, plerumque errant homines, ex eo quòd, nec indole ſuâ, nec viribus ſuis, ritè perpenſis, eum amplectantur ſtatum, cui poſteà ſeſe impares ſentiunt. Ut igitur vitetur hic error, juvenis quilibet ad propenſiones ſuas ſedulò attendat, ne minùs prudens habeatur ipſis Scenicis, qui non optimas, ſed genio ſuo accommodatiſſimas eligunt perſonas.

Duplex tantùm generatim loquendo, vitæ genus occurrit eligendum, cœlibatus & matrimonium.

In cœlibatu, multæ ſunt profeſſiones. Prima, eſt Eccleſiaſtica. Secunda, Regularium, ſeu Monachorum. Tertia, Litteratorum.

Profeſſio Eccleſiaſtica, omnium eſt nobiliſſima; & conſequenter longè plures exigit ingenii, dotes in iis, qui ad ſtatum

hunc eminentem anhelant, quàm in iis, qui cæteras amplectuntur. De Ecclesiasticorum officiis dicetur posteà.

Professio Regularium, eorum erat, propriè loquendo, qui cùm muneri Sacerdotali se sentirent impares, certis tamen regulis, ex voto, sese astringebant. De his dicetur posteà.

Professio Litteratorum, eorum est, qui se totos litterarum & scientiarum studio voverunt. Circà hunc statum notandum est, valdè timendum esse, ne ejusmodi homines, variarum scientiarum acquisitione distracti, & exinde plerumque tumidi, ipsas, non ut media, sed ut finem intueantur.

Circà professionem Regularium, multa possunt hîc inquiri.

Quæres igitur, 1°. quid sit Monachus?

Respondeo, Monachi nomen duobus modis accipi. 1°. Pro eo, qui cæterorum hominum consortium & conspectum fugit, ut saluti suæ commodiùs invigilet, tuncque dicitur *Eremita*. 2°. Pro eo, qui cum aliis quidem vivit, sed paupertatem Evangelicam & virginitatem profitetur; & tunc vocatur, *Cœnobita*.

Quæres, 2°. utrùm tutius sit, Monachum vivere Eremitam, quàm Cœnobitam?

Respondeo cum Sancto Hyeronimo, tutius esse, Monachum cum aliis in Monasterio vivere. Mihi quidem placet, inquit in epistolâ ad Rufinum, ut habeas Sanctorum contubernium, ne ipse te doceas, & absque ductore viam ingrediaris, quam nunquam es ingressus. In solitudine citò subrepit superbia; & si quis ibi parumper manserit, hominemque non viderit, putat se alicujus esse momenti, oblitusque sui, corde vagatur; dormit ad libitum, neminem veretur, facit quod vult, posteàque crebriùs in urbibus, quàm in cellulâ versatur. Non tamen damnandos puto Solitarios, qui vulgò dicuntur Eremitæ; sed optandum esset, ut ejusmodi milites, de licentiâ Superiorum, egrederentur è cœnobiorum palestrâ, paupertatemque reipsâ amarent; & tandem ut ipsorum habitus, sermo, vultus, ac incessus, totidem essent ad virtutem incitamenta.

Quæres, 3°. quinam fuerint illustrissimi Monachorum Institutores?

Respondeo multos floruisse, tùm sub lege veteri, tùm sub lege novâ. Sub lege veteri, pietatis & pœnitentiæ exemplaria proponuntur, Elias, Elysæeus, Joannes Baptista, &c. Sub lege novâ, primus in Occidente, regulam certam instituit Sanc-

tus Benedictus; unde Monachorum pater meritò dicitur.

Quæres, 4°. utrùm Monachi, primis institutionis suæ temporibus, fuerint Sacerdotes, an laïci?

Respondeo omnes Monachos, primis illis temporibus, fuisse laïcos; ut patet ex eo, quòd in Conciliorum canonibus, cum laïcis numerentur. Hinc subjiciebantur Episcopis, suarumque Parrochiarum Pastoribus, tanquam propriis Sacerdotibus, apud quos peccata deponebant, & à quibus sacram synaxim recipiebant: successu autem temporis, permittente Episcopo, in locis à Parrochiâ remotioribus, unus, aut alter institutus fuit Sacerdos, qui sacrificium pro ipsis offerret.

Quæres denique, quânam ætate possit quis professionem Monasticam amplecti?

Respondeo, hâc de re nihil certi definiri posse; ex eo scilicet, quòd ingenii maturitas, ad id planè necessaria, citiùs in quibusdam; in aliis autem tardiùs elucescat. Unum moneo, professionem hanc non esse suscipiendam, tædio, tristitiâ, miseriæ vitandæ causâ, & propter quædam à parentibus accepta incommoda; sed solo amore Dei, solâ salutis obtinendæ intentione, solâque fugâ eorum, quæ sunt de sæculo. Si igitur à multis annis, te talem

animum gerentem ſentias, Cœnobium ſubitò non ingrediaris; ſed te, tuamque indolem, per notabile tempus privatim proba, obſervando regulas, quæ præſcribuntur ſervandæ in cœnobio, cujus ingreſſum meditaris. Prætereà, conſule viros probos, qui non ſint ex eo ordine, ad quem aſpiras, quique tuæ ſalutis ſolam habeant rationem.

Si matrimonium eligatur, primum motivum ſit, æterna ſalus, non libido, non avaritia, non ambitio, &c. Hinc ſi quærantur tantùm opes, tunc opes cum opibus, ſed ipſæ perſonæ non conjunguntur. Eligatur autem uxor, quæ nec ſit ætate multò provectior, nec multò junior te ipſo, quæ majoris docilitatis causâ, ſit virgo benè morata, & cujus temperamentum & propenſiones, à tuis non multùm diſcrepent. Conjugum officia tradentur poſteà.

Quod attinet ad tertiam quæſtionem, reſpondeo, nulli privato licitum eſſe, illud vitæ genus eligere, quod ad Reipublicæ bonum non tendat: cùm enim quilibet ſit pars, tùm familiæ, tùm Reipublicæ, ſemper debet bono totius conſulere.

Dices. Exindè ſequeretur, multos religioſos ordines eſſe deſtruendos; cùm enim

segregentur à cæteris hominibus, ut soli Deo serviant, quales sunt Cartusiani, Trapenses, &c. non habent pro fine intermedio, Reipublicæ bonum: atqui tamen eorum vitæ genus, non tantùm est licitum, sed & multùm laudandum; ergo, &c.

Nego sequelam. Si enim rem diligentiùs perpendere voluerimus, deprehendemus, ordines illos, ad bonum societatis, tùm civilis, tùm Ecclesiasticæ tendere. Civilis quidem, quatenùs suis precibus, tranquillitatem publicam à Deo jugiter efflagitant; Ecclesiasticæ pariter, quia sunt decus & ornamentum Ecclesiæ militantis.

Nota porrò, nullos ordines religiosos institui posse, sine dispensatione utriusque potestatis, civilis nimirùm & Ecclesiasticæ; unde utrique illi potestati tenentur obedire: civili quidem in temporalibus; Ecclesiasticæ verò, in spiritualibus.

Oeconomica.

Hæc pars dirigit hominem, prout est pars familiæ. Triplex autem est, sub hoc respectu societas, nempè Gamica, Patrica & despotica. Priusquam verò de unâquâque dicamus, inquirendum est, utrùm homo reipsâ natus sit ad societatem. Huic quæstioni occasionem dedit Hobbs, do-

cens, hominem ad ſocietatem nullatenùs eſſe natum. Contrà ipſum ſit,

Concluſio.

Homo natus eſt ad ſocietatem : 1°. quia quilibet per ſenſum intimum conſcius eſt, ſolitudinem continuatam, ſibi contrariam eſſe, ita ut ipſe Stoïcorum Sapiens maluerit non vivere, quàm nullos virtutis ſuæ teſtes habere. 2°. Quia Deus creavit Evam, ut eſſet in adjutorium Adamo, & quia *bonum non erat, hominem eſſe ſolum.* 3°. Quia varia ſunt ſigna, voces ſcilicet, geſtus, ſcriptura, &c. quibus homines ſocietatem fovere poſſunt. 4°. Quia ſine cæterorum hominum conſortio, nemo comparare poteſt, quæ ſunt ad vitam ſuſtentandam neceſſaria. 5°. Quia amor proprius, congenitus eſt & naturalis, ut fatetur Hobbs : porrò, ſocietatis amor, nihil aliud eſt, quàm amoris proprii diffuſio. Scilicet ſi nulla eſſet ſocietas, homo non tam ſibi complaceret in variis ſuis actibus : verbi gratiâ, nobiles & divites non tam ſuperba curarent erigi palatia, niſi eſſent homines quibuſcum vivant, & à quibus eorum poteſtas poſſet extolli : tot pediſſequis rhedas ſuas non onerarent, niſi dignitatem & opes ſuas cæteris hominibus indicare vellent. Non tam ſuperbus eſſet

esset mulierum apparatus, nisi cultum & observantiam sibi conciliare vellent; proindeque, &c.

Et certè timor, qui, ut vult Hobbs, est societatis principium; vel est à naturâ insitus, vel non. Si à naturâ; ergo homo natus est cum principio societatis. Si non, jam reperiri non potest in omnibus hominibus, ut vult hic Author; sola namque naturalia, sunt omnibus communia.

Dices cum illo Authore. Homines sibi relicti, tendunt ad bellum; habent enim jus æquale in objecta possidenda: porrò, qui naturaliter tendunt ad bellum, nati non sunt ad societatem; ergo, &c.

Nego primam propositionem. Homines enim naturaliter tendunt ad sui conservationem; quamobrem si naturaliter ad bellum tenderent, non appeterent sui conservationem; bellum quippe de se tendit ad hominum destructionem. Ad probationem autem, distinguo propositionem. Si in iis non supponantur recta ratio, pacis amor, & innumeræ viæ, tùm belli vitandi, tùm objecta sub certis conditionibus inter se distribuendi, concedo. Si in iis hæc omnia reperiantur, nego.

At, inquies, homo non est natus ad servitutem: atqui societas servitutem quamdam imponit; ergo, &c.

Distinguo majorem. Homo non est natus ad servitutem coactam & omnimodam, concedo. Voluntariam & aliqualem, nego. Servitus coacta & omnimoda, dicitur ea, quæ dominium quodvis, aut excludit, aut ligat, qualis est dura servitus, quâ Tripolitani & Algeriani Christianos quosdam tenent oppressos. Servitus voluntaria, dicitur ea, cui quis sese libenter subjicit, propter innumera commoda, quæ exindè proveniunt, qualis est servitus legum; sumus enim, inquit Cicero, legum servi, ut liberi vivamus.

De societate gamicâ.

Societas gamica, dicitur ea, quæ maritum inter & uxorem intercedit: dicitur aliter *conjugalis*, ex eo, quòd sub eodem jugo contineantur. Conjugium definitur à Jurisperitis, mariti & uxoris conjunctio, individuam vitæ consuetudinem continens.

Causa finalis proxima conjugii, est liberorum procreatio, educatio, mutuumque conjugum auxilium. Ubi notabis, singularem Dei providentiam eminere, circà temperamenta mariti & uxoris: scilicet viros produxit robustiores, ut comparare possint quæcumque sunt ad vitam susten-

tandam necessaria, familiam tuerentur, & injurias propulsarent; uxores autem produxit infirmiores & timidiores, ut inclusæ degerent sub tecto, ut invigilarent liberorum educationi, &c.

Causa efficiens prima conjugii, Deus est, juxtà illud Geneseos, *masculum & fœminam creavit illos. Quòd Deus conjunxit, homo non separet.* Causa verò efficiens secunda, conjugum consensus; ita ut hic consensus apud Christianos fiat coram testibus & proprio Sacerdote.

Quæres autem, 1°. quid sit sentiendum de Platonis opinione, circà mulierum communitatem?

Respondeo, Platonis opinionem non tantùm religioni Christianæ, sed etiam legi naturali adversari: tùm quia in hypothesi Platonis, cùm mariti proprios non agnoscerent liberos, eorum educationi non possent, ut par est, invigilare: tùm quia tolleretur fortunarum & dignitatum discrimen, quod tamen præcipuum est societatis civilis fundamentum: tùm quia perpetua nascerentur inter cives dissidia: tùm denique, quia longè pauciores nascerentur cives; meretrices enim sunt plerumque steriles.

Quæres, 2°. an matrimonium sit solubile?

Respondeo, 1°. matrimonium legitimè contractum, nunquam esse solubile, quantùm ad vinculum; eo sensu, quòd unus è conjugibus, alio vivente, possit ad alias convolare nuptias, juxtà illud, *quod Deus conjunxit, homo non separet*; hinc libellus repudii, concessus tantùm fuit Judæis, ad duritiem cordis.

Respondeo, 2°. matrimonium legitimè contractum, variis de causis esse solubile, tùm quantùm ad fortunas, tùm quantùm ad cohabitationem: ejusmodi causæ legi poterunt apud Jurisperitos.

Varia sunt conjugum officia erga se invicem. Primum, neutri fidem solemniter datam violare licet: quia, ut ait Apostolus, neuter potestatem corporis sui habet. Secundum, mutuum sibi præstare tenentur auxilium, & sese in adversis sustinere. Tertium, maritus imperare debet; uxor autem obedire tenetur, juxtà hæc Apostoli verba: *omnis viri caput, est Christus; caput autem mulieris, est vir. Mulieres viris suis subditæ sint, sicut Domino*. Hinc Sara Abrahamum semper appellabat *Dominum suum*. Quartum, vir debet uxorem suam, non ut ancillam, sed ut sociam regere: non enim ex pedibus viri, sed ex costâ educta uit Eva. Hinc uxoris indolem diligenter scrutetur maritus, ipsique permittat orna-

rum, ſtatui ſuo proportionatum, ſed qui nunquam in luxum degeneret. Quintum, maritus ſemper audiat uxoris conſilia; ſed ipſi ſecreta alicujus momenti nunquam committat, niſi longâ experientiâ noverit eam eſſe prudentem.

De ſocietate patricâ.

Societas patrica, dicitur ea, quæ parentes inter & liberos intercedit; hinc quædam ſunt officia parentum erga liberos, & liberorum erga parentes.

Officia parentum erga liberos.

Primum. Sicut nullo jure parentibus licitum eſt, liberorum procreationem impedire; ſic parricidium eſſet, ſi procurarent abortum fœtûs, ſive animati, ſive non.

Secundum. Matres lege naturali tenentur proprios ablactare liberos; unde non liberantur ab hoc officio, niſi propter adverſam valetudinem, & imminens vitæ periculum: cùm igitur hoc officium in deſuetudinem abierit, præſertim in urbibus; mirum non eſt, ſi tot liberi à matribus ſuis quaſi derelicti, & aliis ad nutritionem negligenter traditi, nullo amore proprias matres poſteà proſequantur.

Tertium. Ubi primùm in liberis inci-

piunt micare rationis ſcintillæ, diligenter curent parentes, 1°. ut ab eorum conſortio removeantur ii omnes, quorum depravati ſunt mores. 2°. Caveant, ne coram infantibus narrentur fabulæ, vel moribus, vel religioni noxiæ, vel rationi repugnantes. 3°. Impediant, ne timor illis incutiatur variis narrationibus Magorum, Sagorum, &c. Hæ namque narrationes membranulas adhuc teneras ita commovent, ut deinceps, vel umbram, tenebraſque reformident.

Quartum. Sedulò curent parentes, primò, ut liberi quamprimùm doceantur, quæ pertinent ad notitiam & cultum Dei. 2°. Ut doceantur, quæ pertinent ad parentum, & eorum, qui tenent locum parentum venerationem. 3°. Ut doceantur, obediendum eſſe Principibus & Reipublicæ; hinc liberis ſuis debent eſſe velut exemplaria, ne facta verbis diſſentiant.

Quintum. Si parentes per ſeipſos vacare non poſſunt liberorum inſtitutioni, curent ut ſcholas publicas adeant; & ſi ſint adhuc juniores, præponant matronam pietate inſignem, cui liberorum cura mandetur: quo in caſu, caveant parentes, ne filiæ cum illâ matronâ, per ædes alienas circumcurſiſtent, & maneant otioſæ; ſicut enim

mulier in ſacro textu laudatur, quæ lanam quæſierit & linum, & operata ſit opus manuum ſuarum; ſic muliere otiosâ, nihil eſt pejus: occupabitur enim, vel in ſermonibus inutilibus, vel in calumniis, ſpectaculis, &c. Filiis præponant præceptorem pium & doctum, qui verbis & exemplo adoleſcentes, ad pietatem & artes informet, qui ſeligat & obſervet, quibuſcum ineant ſocietatem, qui non ſit ita auſterus, ut ipſos honeſtis ludis recreari nunquam patiatur; qui ſic eos regat, ut nunquam tyrannicè dominetur; qui modò honeſtatis, modò ignominiæ motivo, ipſos ad agendum impellat, quique, ſi fieri poſſit, virgis nunquam utatur; amore namque potiùs, quàm metu, ad officia ſua ſunt excitandi.

Non indicabo hîc, quænam diſciplinæ ſint adoleſcentibus primùm proponendæ. Hâc de re, legere poteris librum eleganter ſcriptum, ſub hoc titulo gallico: *Traité du choix & de la méthode des études.* Mihi cum hoc Authore valdè placeret, ut quæſtiunculæ Arithmeticæ, Geometriæ & Phyſicæ, proponerentur adoleſcentibus cum brevibus quibuſdam hiſtoriis minimè fabuloſis; hoc enim modo mentes eorum paulatim aſſueſcerent judiciis rectis ferendis, infanteſque potenter allicerentur ad

ſcientias : valdè quoque foret utile, ut penitùs arcerentur à comœdiis & tragœdiis : quia ſcilicet per hujuſmodi ſpectacula, nimiùm moventur, & irritantur eorum affectus : ſic opinabantur Ariſtoteles & Plato, &c. Quantò igitur potiori jure, ſic opinari debent Chriſtiani.

Quæritur hîc, an publica liberorum inſtitutio, privatæ ſit anteponenda ?

Reſpondeo, publicam inſtitutionem, ex multiplici capite anteponendam eſſe privatæ. 1°. Quia in inſtitutione publicâ, quædam inter condiſcipulos naſcitur æmulatio, quæ potens eſt, tùm ad ſcientias, tùm ad virtutem incitamentum. 2°. Quia per inſtitutionem publicam, faſtus & ſuperbia paulatim removentur, ob æqualitatem inter diſcipulos conſtitutam ; unde fit, ut juvenes anteà ſuperbi, ſenſim evadant humiles, dum è contrà quorumdam aliorum mens, velut erigitur. 3°. Quia in inſtitutione publicâ, comparatur facilitas palam & publicè loquendi : quod non contingit in inſtitutione privatâ. 4°. Quia inter condiſcipulos, firmiſſimæ plerumque connectuntur amicitiæ. 5°. denique, quia per inſtitutionem publicam, adoleſcentes vindicantur ab illâ molli & effeminatâ vivendi ratione, quàm ſub umbrâ alarum maternarum ducere ſolent. Rationes om-

nes superiùs allatæ, confirmantur ex eo, quòd Imperatores & Reges, ad publicam juventutis institutionem, varias constituerent Academias, è quibus, tanquam ex fœcundissimis Seminariis, prodeunt fortissimi religionis & patriæ defensores.

Sextum. Parentes liberis suis vim nullatenùs inferant circà vitæ generis electionem: meminerint, se esse liberorum custodes & rectores, non autem dominos: attendant, vocationem esse opus Dei, & ab ipso proindè petendam: curent igitur solummodò, ut liberi maturè & solo virtutis motivo, se gerant in hoc delectu.

Septimum. Pater liberis adhuc impuberibus, testamento, si fieri possit, provideat, eligens vel amicos, vel consanguineos, probitate conspicuos, qui tutelam & curam illorum gerere non graventur.

Officia liberorum erga parentes.

Primum. Frequenter reflectant in hoc Scripturæ Sacræ præceptum, *honora patrem & matrem*; ad id namque tenentur, 1°. lege naturali, nempè propter curam & varias sollicitudines parentum, dum liberi erant adhuc infantes. 2°. Lege Divinâ, ut patet, tùm ex textu mox laudato, tùm exemplo ipsius Christi, de quo

sic legitur : *descendit cum eis, (parentibus)* *& venit Nazareth, & erat subditus illis.* 3°. Lege humanâ, quæ pœnas decernit in liberos ingratos: sunt tamen circumstantiæ quædam, in quibus liberi eximuntur ab hoc officio: verbi gratiâ, si parentes aliquid jubeant, vel contrà patriam, vel contrà religionem ; quippe, ut ait Christus Dominus, *si quis amet patrem suum, aut matrem suam plusquam me, non est me dignus.* Tandiu igitur liberi parentibus obedire tenentur, quandiu eorum obedientia subordinata erit obedientiæ Deo debitæ.

Secundum. Liberi non debent, invitis parentibus, aliquod vitæ genus eligere, saltem ante tempus, quo secundùm leges humanas, à parentum potestate liberantur. Ratio est: quia ante tempus illud, de bonis temporalibus disponere non possunt, absque parentum consensu ; ergo à fortiori non possunt, iisdem invitis, vitæ genus eligere, à quo pendet bonorum æternorum possessio. Hinc parentum semper audienda vox, negligenda nunquam. Quod si electioni nostræ non consentiant, expectandum erit, donec veniat dies sacrificii, & ad illud usque tempus erit obediendum.

Tertium. Liberi nunquam amplecti de-

bent vitæ genus, cui sese sentiunt impares, quantumvis à parentibus ad illud suscipiendum excitentur: hoc autem in casu, precibus apud Deum, amicis apud parentes, & aliis similibus modis eniti debent, ut à parentibus dispensationem obtineant.

De societate despoticâ.

Societas despotica, dicitur ea, quæ Dominum inter & servos intercedit. Hinc alia sunt Dominorum officia erga servos; alia verò, servorum erga Dominos. Servitutis autem nomine, non intelligimus hîc supremum illud dominium, quod erat penès Romanos cives, in captivos suos; sed intelligimus dominium patrisfamilias, in famulos suos: nulli quippe sunt servi propriè dicti, apud Christianos.

Officia Dominorum erga famulos.

In famulorum electione, habenda est potissimùm ratio ipsorum indolis: quippe valdè animosi, gubernatu sunt difficiles; ignavi verò, laboris sunt impatientes: quamobrem eligendi sunt, si fieri potest, qui nec nimiùm elato, nec nimiùm abjecto sint animo. 2°. Imperium Domini in famulos suos, nec nimis sit austerum,

nec nimis benignum: non quidem nimis austerum, juxtà illud Apostoli ad Ephesios, capite sexto; *vos Domini, bona facite illis, remittentes minas, scientes quia & illorum & vester Dominus est in cœlis, & personarum acceptio non est apud Deum*; non sit etiam nimis benignum, quia famuli benignitate hâc abuterentur; & exindè fierent superbi, juxtà hoc Proverbiorum, capite decimo nono; *qui delicatè nutrit servum suum, posteà contumacem sentiet*: quamobrem prudentis est Domini, varias famulorum indoles scrutari, ut cum hoc duriùs, & cum illo mitiùs agat, & ita ut cum ipsis jocum nunquam habeat.

Tertium. Domini famulis suis suppeditent alimentum, mercedem, disciplinam & opus. Primò quidem suppeditent alimentum, quod quantitate & qualitate sit aptum, ad vires corporis servandas, & laborem perferendum; careant autem dapibus exquisitis, & si fieri possit, Dominorum & famulorum non sit victus communis. 2°. Famulis constituatur merces: quia gratum esse non potest imperium, nec obsequium facile iis, qui mercede carent: fideliter autem persolvatur illa merces, quia nullum debitum magis est legitimum. 3°. Non desit disciplina, id est, curent Domini, ut famuli præcipua

saltem religionis Christianæ dogmata doceantur, Domini quippe curam hanc non suscipientes, vocantur ab Apostolo, *pejores infidelibus.* 4°. denique. Non desit etiam opus: quia nihil pejus est famulo, cui nullus labor imponitur; desidiosus enim vitiis omnibus inquinabitur.

Quartum. Idem officium multis famulis, si fieri potest, non committatur: quia alter alterius expectabit operam; sicque nullus eorum Domini mandatum adimplebit: singulis igitur distribuenda sunt officia, pro cujusque indole.

Quintum. Famulis tuis opes tuas vix crede: quia rarò inveniuntur famuli, qui divitiis sibi commissis non abutantur; hinc in rebus parvi momenti, probitas eorum erit probanda.

Sextum denique. Arcanum alicujus momenti, famulis tuis noli committere: sic enim legitur Proverbiorum capite tertio, *cum amico tuo causam age, & secretum extraneo non reveles:* porrò, famuli habendi sunt ut extranei; imò utplurimùm tanquam inimici, juxtà illud sacri textûs, *inimici hominis domestici ejus.* Ratio generalis est, quia cùm homo quilibet sit, ex naturâ suâ liber, & suæ libertatis conscius, si subjiciatur alterius privati dominio, eo ipso, ad ejus odium excitatur, quandoqui-

dem dominium privatum, libertati judicatur contrarium.

Officia servorum erga Dominos.

Hæc officia sic explicantur ab Apostolo. *Servi obedite Dominis carnalibus, cum timore & tremore, in simplicitate cordis vestri, sicut Christo, non ad oculum servientes, quasi hominibus placentes, sed ut servi Christi, facientes voluntatem Dominorum ex animo; scientes, quoniam unusquisque quodcumque facit bonum, hoc recipiet à Deo, sive servus, sive liber.* Itaque famuli sint humiles, res familiares Dominorum diligentissimè curent & amplificent, ac Dominis obediant in iis omnibus, quæ non sunt contrà leges; nunquam autem in actibus malis, verbi gratiâ, in furto, impudicitiâ, &c. leges quippe civiles, pœnas decernunt in famulos, qui his in casibus, Dominis obtemperant.

Politica.

Hæc ultima pars Philosophiæ moralis specialis, tradit regulas generales, juxtà quas feliciter gubernari possint civitates; unde habet pro objecto, Rempublicam constituendam & administrandam. Civitatis autem nomine, hîc intelligitur societas hominum, sub iisdem legibus vi-

ventium. Hoc ſenſu, tota Gallia quædam eſt civitas: quia ſub ejuſdem Principis legibus vivit.

Hoc ordine, poſtremam hanc partem breviter perſtringemus. 1°. Diſſeremus de meliori Reipublicæ regimine. 2°. Quædam dicemus de Principe. 3°. De Sacerdotibus. 4°. De Nobilibus. 5°. De Magiſtratibus. 6°. Denique, de ſubditis privatis.

De meliori Reipublicæ regimine.

Multi ſunt modi, quibus Reſpublica poteſt adminiſtrari; ſed revocari poſſunt ad tria regimina generalia, Monarchicum, Ariſtocraticum, & Democraticum. Monarchia, eſt ſtatus, in quo unicus imperat, ut in Galliâ. Ariſtocratia, eſt ſtatus, in quo certus Nobilium numerus gubernat, ut apud Venetos. Democratia, eſt ſtatus, in quo populus ita gubernat, ut quilibet paterfamilias jus habeat ſuffragii, ut apud Helvetios.

Monarchia ſubdiſtribuitur in electivam & hæreditariam. Electiva dicitur, in quâ ſceptrum, Reipublicæ ſuffragiis, alicui Principi demandatur, ut in Poloniâ; hæreditaria verò, in quâ ſceptrum à parentibus, ad poſteros tranſmittitur; & duplex rursùs diſtinguitur. Gynecocratica,

in quâ, desinentibus masculis, succedunt fœminæ, ut apud Hispanos & Anglos; & Androcratica, in quâ soli masculi succedunt, ut in Galliâ. His notatis, sint,

Conclusio prima.

Regimen Monarchicum, est omnium præstantissimum. Illud enim regimen dici debet omnium præstantissimum, in quo Reipublicæ commoda faciliùs procurari possunt: atqui in regimine Monarchico, Reipublicæ commoda faciliùs procurari possunt, quàm in alio quovis: tùm quia, si bellum sit gerendum, mandata promptiùs executioni mandantur, quàm in aliis regiminibus; arcana tutiùs servantur, & milites jubentibus celeriùs obtemperant. Tùm quia bella civilia, quæ rerum publicarum sunt pestes teterrimæ, vix exoriuntur in regimine Monarchico, ex eo scilicet, quòd nullus subditus, opibus & authoritate Principem adæquare valeat. Tùm denique, quia quæcumque tractantur à multis, cum æquali potestate independente, vix ad optatos exitus perveniunt.

Dices. 1°. Multa occurrunt incommoda in regimine Monarchico, & præterea, ut fert proverbium, plus vident oculi, quàm oculus; ergo, &c.

Fateor, quædam esse incommoda in re-

gimine Monarchico : quia regimen quodlibet humanum, essentialiter est defectibile ; sed contendo, ejusmodi incommoda, semper esse leviora iis, qui occurrunt in aliis regiminibus. Ad id autem quod subjungitur, respondeo Principem, non per se solum administrare, sed per Consiliarios, Ministros, Duces, & Magistratus.

Dices. 2°. In Scripturâ Sacrâ, Deus arguit Judæos, quòd Regem postulassent; ergo signum est, regimen Monarchicum, cæteris non esse anteponendum.

Nego consequentiam. Non enim ideò præcisè arguuntur Judæi, quòd Regem postulassent, sed quòd rejecerant regimen Theocraticum, seu ipsius Dei, per Prophetas & Judices administrantis.

Conclusio secunda.

Monarchia hæreditaria, præstantior est electivâ. Si enim pauciora habeat incommoda, & majorem procurare possit utilitatem publicam, quàm electiva, huic certè præstat : atqui res sic se habet. Nimirùm in Monarchiâ electivâ, ferè semper exoriuntur periculosæ contentiones, tùm inter Electores, tùm inter eos, qui regnum ambiunt ; & exindè nascuntur bella civilia, quæ vix extingui possunt,

ut per multos annos olim infeliciter experti ſunt Poloni : deinde Princeps electus familiæ ſuæ commodis potiùs invigilat, quàm Reipublicæ utilitati ; dum è contrà Princeps hæreditarius, bonum publicum utpotè ad poſteros ſuos tranſmittendum, tanquam bonum familiæ ſuæ ſpectat.

Dices. Regimen, in quo ſemper imperant viri fortes & ſapientes, anteponendum eſt ei, in quo jus imperandi, nonnunquam ad infantes devolvitur : atqui in regno electivo, ſemper imperant viri fortes & ſapientes ; in hæreditario verò, nonnunquam imperant infantes ; ergo, &c.

Diſtinguo majorem. Si aliunde graviora non occurrant incommoda in regno electivo, quàm hæreditario, concedo. Si graviora occurrant incommoda, nego. Porrò, longè graviora occurrunt incommoda in regno electivo, quàm in hæreditario ; ut conſtare debet ex eo, quòd in electivo frequentiùs occurrant ſeditiones & bella civilia, quàm in hæreditario ; tùm ex eo, quòd Reges electi ſuis, potiuſquam ſubditorum commodis invigilant. Addo, minorem propoſitionem negari poſſe ; Electores quippe non ſemper viros fortes & prudentes eligunt, ſed per varias ambitiones iis ſuffragia ſua tribuunt, ſub quo-

rum administratione sperant, se res suas privatas feliciùs promoturos.

Conclusio tertia.

Androcatia, melior est Gynecocratiâ. Tùm quia in Principe viro, frequentiùs quàm in muliere, occurrunt potestas & prudentia, ad excogitandas vias, quibus boni cives conserventur, mali coerceantur, & hostes repellantur. Tùm quia fœminæ regni hæredes, Principibus peregrinis utplurimùm nubunt, quorum mores & ritus subditis sæpissimè displicent; proindeque, &c.

Nec obstat, quòd fœminæ quædam fortiter, prudenter & feliciter regna sua administraverint; hoc enim rarò contingit, & ubi determinandum est, utrùm è duobus, alteri præstet: exemplum desumi non debet ex iis, quæ rarò contingunt.

Quamvis autem indicaverimus, quodnam ex variis regiminibus sit præstantissimum; nihilominùs unusquisque permanere debet in eo regimine, in quo natus est, & legibus illius regiminis obtemperare tenetur.

De Principe.

Princeps, ut hîc accipitur, est persona, in quâ residet suprema potestas publica.

Singula Principis officia hîc enumerare non aggredimur : nonnulla ſolummodò, eaque generaliora proponemus ; cætera colligi poterunt, tùm ex hiſtoriâ Principum optimorum, quos laudat Scriptura Sacra ; tùm ex Scriptis Patrum & Doctorum, qui Principum quorumdam prudentiam & mores laudibus extulerunt.

Primum. Præcipua Principis cura in eo poſita eſſe debet, ut Deo Regum Regi, cultus & honor exhibeatur.

Secundum. Princeps, utpotè ſubditorum parens, eorum utilitatem & ſecuritatem, quantùm in ſe eſt, procurare tenetur : hoc autem præſtabit, ſi eos eligat Minſtros & Magiſtratus, qui periti ſint, & quorum mores ſint incorrupti ; ſi deinde eas militum copias habeat paratas, quibus regnum ab externis excurſionibus ſervetur incolume.

Tertium. Princeps ipſe moribus & exemplo ſubditis prælucere debet : nam, ut ait Scriptura Sacra, *qualis eſt rector civitatis, tales ſunt habitantes in eâ. Rex inſipiens perdet populum ſuum.*

Quartum. Cavere debet Princeps, ne ſubditi nimiùm potentes evadant ; alioqui ſucceſſu temporis, ſeditiones movere poſſent. Cavere pariter debet, ne nimiâ paupertate jaceant oppreſſi ; tunc enim non

ampliùs eorum parens haberetur.

Quintum. Diligentiam omnem adhibere debet, ut Ministri sui strictam servent justitiam, in onerum publicorum distributione, valdè prudentes in vectigalium collectione, & imprimis fideles, in eorumdem administratione.

Sextum denique. Princeps debet esse sagax, in detegendis adulatoribus, ut detectos à consuetudine suâ procul amoveat; sunt enim Principum & Reipublicæ totidem pestes.

Quæres autem, utrùm subditi tenerentur obtemperare Principi, diversam religionem profitenti, præsertim si summus Pontifex eos absolveret à jurejurando, quo erga Principem illum adstringuntur?

Respondeo, 1°. subditos nunquam obedire debere Principibus, aliquid contrà veram religionem jubentibus, ut patet exemplo primorum Christianorum, qui crudelissima quæque supplicia pati maluerunt, quàm quidpiam contrà veram religionem, aut facere, aut dicere: hoc autem in casu, contrà Principes rebellare nunquam licitum est.

Respondeo, 2°. si agatur de iis, quæ non pertinent ad fidem, subditos semper teneri Principibus suis obtemperare: authoritas namque Regia pendet à solo Deo;

adeòque nulla eſt alia poteſtas creata, quæ ſubditos diſpenſare valeat, ab obedientiâ Principibus legitimis debitâ. Reſponſio confirmatur multis paſſim Scripturæ Sacræ teſtimoniis: *Obedite præpoſitis veſtris, etiam diſcolis. Reddite Cæſari, quæ ſunt Cæſaris; cui tributum, tributum; cui vectigal, vectigal; cui honorem, honorem; cui timorem, timorem.* Primis Eccleſiæ temporibus Chriſtiani nullam movebant ſeditionem, nec deficiebant ab Imperatoribus Paganis; imò nullus inventus eſt Chriſtianus, qui tot inter conjurationes, quibus multi Imperatores fuerunt oppreſſi, ſeſe conjuratis adjunxerit: quamobrem nec ſummus Pontifex, nec univerſa Eccleſia poteſtatem habet, ſive directam, ſive indirectam, in temporalia Regum. Enim verò, Regia poteſtas conſtituta fuit, ante Pontifices Romanos, & ipſa Eccleſia nata fuit in Imperio: uno verbo, preces apud Deum, ſunt Eccleſiæ arma, non vis, non politica.

De Sacerdotibus.

A morte Chriſti, vera Dei notitia, veraque religio, ad omnes Terræ populos pervenerunt, per miniſterium Apoſtolorum & Diſcipulorum, juxtà hoc Scripturæ Sacræ teſtimonium: *in omnem Terram exi-*

vit sonus eorum. Hinc Successores Apostolorum & Discipulorum, sunt in rei veritate, Sacerdotes; quædam autem est inter eos subordinatio. Primò, namque Pontifex Romanus, utpotè sancti Petri Successor, primus est inter Apostolorum Successores, non autem eorum Monarcha. 2°. Episcopi, utpotè Apostolorum Successores, suis ita præesse debent Ecclesiis, ut ad felicem earum gubernationem, quasdam ferre possint leges, quæ obligent in conscientiâ. 3°. Parrochi & Presbyteri debent Episcopis eodem modo subjici, quo Discipuli subjiciebantur Apostolis.

Virtutes & dotes Sacerdotum, enumerantur ab Apostolo, in epistolâ ad Titum. Inter varia eorum officia, duo sunt præcipua, *docere & facere*, hoc est, scientiâ & virtute, cæteris fidelibus prælucere debent. Primò quidem Sacerdotes debent esse scientiâ clari; nam, ut ait Malachias, *labia Sacerdotis custodient scientiam, & legem requirent ex ore ejus, quia Angelus est Domini exercitium.* Hinc sic loquitur ipse Deus apud Ozæam, *quia scientiam repulisti, repellam te, ne Sacerdotio fungaris mihi.* Eadem veritas lumine naturali sic probari potest. Legum custodes & interpretes, scire tenentur has leges, & authenticas earum interpretationes callere, ut nempe

ſibi ſubditos edoceant, & Adverſariorum ſophiſmata ſolvant : porrò, Sacerdotes ſic ſe habent ; ergo, &c. 2°. Sacerdotes, præ cæteris Chriſtianis virtutibus eminere debent, ut conſtare debet ex eo, quòd ſint velut mediatores, Deum inter & cæteros homines.

Quærunt hîc nonnulli, an Sacerdotes poſſint ex officio, docere Grammaticam, Rhetoricam, & ipſam Philoſophiam ?

Reſpondeo, uſum invaluiſſe, ut Sacerdotes ejuſmodi diſciplinas traderent, quamvis per multas ſummorum Pontificum conſtitutiones arceantur, ab ejuſmodi munere, ſicut obſervavit *Mainbourg*, in vitâ Gregorii Magni. Hinc ad tradendas illas diſciplinas, olim aſſumebantur ſoli Laïci, quos & moribus probis ornatos, & in arte quam profitebantur, peritos eſſe oportebat, ut præſcriptum fuit articulo primo ſtatutorum præclaræ Facultatis artium Pariſienſis.

De Nobilibus.

Nobiles, vel ſunt ſuæ nobilitatis authores, id eſt, ob ſua in Rempublicam merita, hoc titulo decorati ſunt à Principe, vel titulum hunc à parentibus traditum acceperunt. Ut autem reipsâ habeantur ut tales, neceſſe eſt, ut publicâ denunciatione,

denunciatione, palam innotescat eorum nobilitas. Solius autem Principis est, aut Reipublicæ, familias quasdam certis titulis commendare, & cohonestare.

Nobilitas describi solet, propensio quædam ad præclara facinora; unde extrinsecùs tantùm sunt nobiles, in quibus occurrit ad vitia propensio.

Nobilibus publicâ denunciatione sic cognitis, debetur honor, præsertim si non sint à verâ nobilitate degeneres; sicut enim nihil est gloriosius, quàm præclara parentum gesta imitari, sic nihil ridiculum magis, quàm nobilitatem suam semper jactitare, & variis criminibus sese inquinare. Verè nobiles, honorem sibi debitum meritò possunt exigere; sed diligenter caveant, ne inferiores suos per arrogantiam & superbiam contemnant: meminerint namque, nullum ita nobilem esse, qui non habuerit parentes ignobiles, sicut cecinit Juvenalis hoc modo.

Majorum primus quisquis fuit ille tuorum;
Aut Pastor fuit, aut illud, quod dicere nolo.

Egregiam de hoc argumento scripsit Satyram Juvenalis noster Gallicus, in quâ præcipua nobilitatis officia disertis verbis exprimuntur.

De Magistratibus.

Magistratus & Judices, sunt personæ, vel à Principe, vel à Republicâ constitutæ, ut eorum ministerio reddatur unicuique, quod suum est.

Judex vulgò distinguitur duplex, *à quo*, & *ad quem*. Judex *à quo*, dicitur ille, à cujus judicio datur appellatio, seu provocatio: dicitur aliter, subalternus. Judex *ad quem*, est ille, ad cujus judicium ita fieri potest provocatio, ut ab eo nulla alia fieri possit: hæc autem sunt præcipua Judicis officia.

Primum. Quatuor virtutibus cardinalibus debet esse decoratus; debet enim esse prudens, ut jus cujusque detegat, & unicuique reddat, quod suum est; debet esse fortis, ne minis terreatur, & ne precibus ac misericordiâ, ultrà rationis præscriptum flectatur; debet esse temperans, ne voluptatum illecebris emolliatur: denique, debet esse diligens, ne litigantes impensis obruantur.

Secundum. Judex Christianus, in clementiam magis, quàm in severitatem, debet esse pronus, dum agitur de pœnis infligendis. Plura namque sunt motiva clementiæ, quàm severitatis, qualia sunt fragilitas humana, ignorantia, spes emen-

dationis futuræ. Duo tantùm sunt casus, in quibus Judex clemens esse non debet. Primus est, si agatur de iis hominibus, qui cultum Divinum contemnunt, quales sunt blasphematores, & juventutis corruptores. Secundus est, quando quis deprehenditur aliquid moliens contrà civitatis tranquillitatem.

Tertium. Judex munera quævis recusare debet, sive ante, sive post litem terminatam: debet quidem ipsa recusare ante litem finitam; tùm quia, ut legitur in Scripturâ Sacrâ, *munera excæcant oculos sapientum, & mutant verba justorum.* Tùm quia cùm munera sint, ex naturâ suâ, quodammodo obligatoria, efficiunt plerumque, ut Judex inclinet in unam partem, cum alterius detrimento. Debet pariter munera recusare post litem terminatam, licet offerantur, ex solo gratitudinis motivo, soloque rei feliciter gestæ gaudio: quia nempe removenda est quælibet suspicio favoris, erga unum è litigantibus; nec enim in Judice sufficit bona conscientia, sed requiritur insuper publicum ipsius probitatis testimonium.

Quartum. Nulla sit apud Judicem personarum acceptio, juxtà illud Scripturæ Sacræ. *Judicate justè, sive ille sit civis, sive peregrinus. Ita parvum audiatis, ut magnum,*

nec accipiatis, quia est Dei judicium. Atque hinc est, quod Areopagitæ noctu tantùm judicia ferrent, & reticerentur nomina eorum, de quorum jure agebatur, ne scilicet personas accipere viderentur.

Quintum. Si Judex per ignorantiam malè judicaverit: errore suo posteà detecto, sententiam latam, si fieri potest, retractare debet; alioqui damnum injustè illatum, resarcire tenetur.

Sextum. Denique, Judex sententiam suam semper ferat, secundùm opinionem de jure probabiliorem: si enim ex duabus opinionibus, una fuerit alterâ probabilior, rectæ rationi consentaneum est, ut probabiliorem amplectamur. Quod si oppositæ opiniones æquè probabiles videantur, tunc alios consulat Jurisperitos, & tandem secundùm suffragiorum pluralitatem judicet.

De privatis subditis.

Subditi privati, vocantur illi, qui nullo munere publico funguntur in civitate: horum officia præcipua sunt.

Primum. Ipsius amor in patriam, debet esse amori Divino subordinatus; ita ut Principis & patriæ tutelam tandiu gerere teneatur, quandiu id permittunt leges Divinæ: quamobrem in bello justo, non

tantùm de ſuis facultatibus ſuppeditare ſubſidia, ſed & propriam offerre perſonam tenetur, ſi neceſſitas urgens id poſtulet.

Secundum. Grande piaculum putet, ſi ſeſe, ab obedientiâ legitimo Principi debitâ, ſubſtrahat: *Qui enim reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit.*

Tertium. Sacerdotibus, Magiſtratibus, Nobilibus, omnibuſque in aliquâ dignitate conſtitutis, magnam exhibeat reverentiam, eamque liberorum & famulorum mentibus inſtillet; id enim præcipit Apoſtolus, in epiſtolâ ad Romanos. Præterea, debet eſſe in conſanguineos, affines, ſocios & vicinos ita benevolus, ut ipſos beneficiis ſuis occupare, facultatibus ſuis ipſis opitulari, & injurias illatas negligere debeat.


Quartum. In promiſſis, pactis & contractibus, fidem diligenter ſervet: hæc enim eſt ſocietatis & juſtitiæ fundamentum.

Quintum denique. Opera miſericordiæ propter Deum, exercere tenetur. Cùm enim Deus ſit communis omnium parens, mutuam, fraternamque inter homines dilectionem intercedere præcipit.

Miſericordiæ nomine, hîc intelligitur beneficium, quo alterius miſeriis propter

Deum succurimus. Hujus virtutis opera, duplicis sunt generis, spiritualia, & corporea. Spiritualia numerantur septem, nimirùm ignorantes docere, errantes corrigere, deliberantibus consilium dare, pro salute proximi Deum orare, mœstos consolari, injurias patienter ferre, & offensas remittere. Corporea numerantur pariter septem, esurientes pascere, sitientibus potum dare, nudos operire, captivos redimere, ægrotos invisere, peregrinos hospitio excipere, & mortuos sepelire.

Hæc & alia multa præstabit, quisquis novissima hominis, frequenter habiturus est animo præsentia, scilicet mortem, judicium, infernum & beatitudinem; horum enim frequens consideratio, tanti momenti semper habita fuit, ad peccata vitanda, ut ad eam nos expresse invitet Ecclesiasticus, his verbis, quibus Philosophiam Moralem claudimus. *In omnibus operibus, memorare novissima tua, & in æternum non peccabis.*



TRIGONOMETRIA.

TRIGONOMETRIA, eſt ea Matheſeos pars, quæ occupatur circà triangula metienda, ita ut cognitis quibuſdam eorum partibus, cæteras inveſtigare doceat: & duplex eſt, rectilinea & ſphærica. Trigonometria rectilinea, verſatur circà triangula, lineis rectis terminata. Sphærica verò circà triangula, quorum latera, ſunt arcus magnorum circulorum in ſuperficie, vel globi, vel ſphæræ deſcriptorum.

Trigonometria rectilinea.

Ut ordine procedamus, 1°. varias præmittemus definitiones. 2°. Varia proponemus theoremata, à quibus pendet praxis triangula dimetiendi. 3°. Subjungemus problemata, de triangulis metiendis.

Definitiones.

Prima. Sinus rectus, aut ſimpliciter, ſinus alicujus anguli, vel alicujus arcûs, eſt linea recta, perpendiculariter ducta ab unâ extremitate alicujus arcûs, ſuprà

radium, ad alteram arcûs extremitatem ductum: ut EF, est sinus arcûs EC, (fig. 50). Sinus potest aliter definiri, media pars chordæ, arcûs dupli.

Secunda. Sinus complementi, est linea recta, perpendiculariter ducta ab eâdem extremitate E, suprà radium, ad extremitatem arcûs complementi ductum: sic EG, est sinus complementi arcûs EF, nempe arcûs DE: vocatur aliter, co-sinus.

Tertia. Sinus totalis, est sinus quadrantis circuli, seu arcus nonaginta graduum, qui proindè æqualis est radio.

Notandum autem, 1°. sinum anguli obtusi, eundem esse cum sinu supplementi; & ejus co-sinum, eundem esse, cum sinu complementi: verbi gratiâ, sinus anguli obtusi ABE, est EF; & ejus co-sinus, EG.

Notandum, 2°. partem radii interceptam, sinum inter & circumferentiam, nimirùm FC, vocari *sinum versum* anguli EBC.

Quarta. Tangens anguli, ejusque arcûs, est linea perpendicularis suprà radium, qui ad extremitatem illius arcûs ducitur: ut linea CH.

Quinta. Secans anguli, ejusque arcûs, est linea à centro per alteram arcûs extre-

mitatem, usque ad tangentem ducta, ut B H.

Notandum est, tangentem anguli complementi, vocari *co-tangentem*, qualis est tangens D I; & secantem complementi, vocari *co-secantem*, qualis est B I.

Theorema primum.

In omnibus circulis, eadem est ratio radii, ad sinus quoslibet rectos, ad sinus quoslibet versos, ad quorumlibet angulorum tangentes, & ad quaslibet angulorum secantes.

Demonstratio.

Omnes circuli, sunt polygona similia; quorum proindè partes similes, similes ad se invicem dicunt relationes. Quoniam igitur sinus recti æqualium angulorum, sunt partes similes, easdem inter se habent rationes. Idem dicendum est de similium angulorum sinubus versis, tangentibus & secantibus; proindeque, &c.

Theorema secundum.

Latera cujusvis trianguli rectilinei, proportionalia sunt sinubus angulorum oppositorum.

Quod ut probetur, describatur circumferentia circuli, transiens per apices sin-

gulorum trianguli angulorum: verbi gratiâ, describatur circumferentia A B C, (fig. 51), transiens per apices A, B & C, trianguli A B C: tùm à centro O, ducantur perpendiculares ad singula latera, quæ tunc sunt tres chordæ; nempe O D, O E, O F.

Demonstratio.

Angulus BOC, duplus est anguli BAC, (per Elem. Geom.): est etiam duplus anguli B O D; ergo anguli B A C, & BOD, sunt æquales: at linea B D, est sinus anguli B O D, & consequenter est sinus anguli B A C. Simili modo poterit ostendi C E, esse sinum anguli B A C; & A F, esse sinum anguli A C B. Jam verò, tres sinus B D, C E, A F, sunt mediæ partes laterum trianguli A B C. Cùm igitur tota & totorum medietates sint in proportione, latera trianguli rectilinei proportionalia sunt sinubus angulorum oppositorum.

Theorema tertium.

Sit triangulum A B C, ex cujus maximo angulo C, demittatur perpendicularis C E, suprà latus maximum A B, & à puncto C, ut centro, describatur circulus, intervallo minimi lateris C A, producatur

turque latus B C, uſque ad circumferentiæ punctum D. Dico, maximum latus AB, ſe habere ad ſummam duorum aliorum laterum, BC, CA, aut CD; ſicut differentia horum duorum laterum nempè BG, ſe habet ad differentiam, quæ eſt inter ſegmenta AE, AB, nimirùm BF.

Demonſtratio.

Summa duorum laterum, eſt ſecans exterior à puncto B, ad partem circuli concavam ducta: pariter, maximum latus AB, eſt alia ſecans exterior, ab eodem puncto B, ad eandem circuli partem concavam ducta. Porrò, demonſtratum fuit in Elementis Geometriæ, ſecantes illas, per circumferentiam circuli diviſas fuiſſe in partes reciprocè proportionales; & conſequenter valet hæc proportio AB, BC, CD :: GB, FB.

Theorema quartum.

Si duarum quantitatum ſumma, harumque differentia cognoſcatur, facile erit unamquamque ex illis quantitatibus detegere. Aſſumatur enim media pars ſummæ, & huic addatur media pars differentiæ, aderit quantitas major: deinde ex alterâ mediâ parte detrahatur media pars differentiæ; & aderit quantitas minor:

N vj

verbi gratiâ, si duarum quantitatum summa sit 30, & earum differentia sit 8, mediæ parti summæ, seu 15, adde mediam partem differentiæ 8, seu 4; aderit major quantitas 19; & ab eâdem medietate summæ, seu ex 15, detrahe 4; aderit quantitas minor, 11: nam 19 & 11, efficiunt 30.

Theorema quintum.

Si in triangulo A B C, (fig. 52), producatur latus maximum A C, usque in D; ita ut A D, sit æquale lateri A B, junganturque puncta D & R, aderit triangulum Isoceles D A B; à cujus angulo A, demittatur perpendicularis AF, suprà latus B D: dico, 1°. angulum D A F, æqualem esse mediæ summæ angulorum A B C, A C B; quia est media pars anguli D A B; qui cùm sit externus, respectu trianguli ABC, æquivalet duobus internis distantibus. Dico, 2°. si ex puncto A, intervallo A F, describatur arcus F G, lineam F D; esse tangentem semisummæ angulorum B, & C: quia est tangens anguli D A F, qui est media pars illius summæ. Dico, 3°. si per punctum A, ducatur A E, parallela basi B C, lineam E F, esse tangentem mediæ partis differentiæ supradictorum angulorum: quia angulus E A F, est excessus an-

guli D A F, suprà angulum D A B.

His propositionibus præmissis, nunc indicandum est, quomodò triangula sint dimetienda: quod ut fiat, sint problemata sequentia.

Problema primum.

In triangulo rectangulo A B C, cognitâ hypothenusâ, & uno angulo acuto, alia latera & tertium angulum cognoscere.

Solutio.

1°. Si angulus cognitus & angulus rectus in unam summam colligantur, & hæc summa detrahatur ex 180, residuum erit valor tertii anguli; vel angulus acutus substrahatur ex 90, residuum erit angulus quæsitus.

2°. Ut habeatur latus B C, instituatur hæc proportio, quæ in Trigonometriâ, vocatur analogia.

Ut sinus totalis, ad hypothenusam;
Sic sinus anguli A, ad quartum terminum, qui erit B C.

Deinde, ut habeatur latus A B, hæc alia instituatur analogia.

Ut sinus totalis, ad hypothenusam;
Sic sinus anguli C, ad quartum terminum, qui erit A B.

Ratio facilis est: quia latera sunt pro-

portionalia ſinubus, per theorema primum.

Problema ſecundum.

Cognitis duobus lateribus trianguli rectanguli, hypothenuſam detegere.

Solutio.

Unumquodque latus multiplicetur per ſemetipſum, ſeu evehatur ad quadratum, & in unam ſummam colligantur; tùm ex hâc ſummâ extrahatur radix quadrata, hæc radix erit hypothenuſa quæſita: verbi gratiâ, ſi unum latus ſit 12 exapedarum, & alterum ſit 10 exapedarum, quadratum 12, eſt 144, & quadratum 10, eſt 100: ex ſummâ 244, extrahatur radix quadrata, & invenies pro hypothenusâ, 15 cum aliquâ fractione.

Corollarium.

Si cognoſcantur hypothenuſa & unum latus, invenietur alterum latus, auferendo ſcilicet quadratum lateris cogniti, ex quadrato hypothenuſæ, & extrahendo radicem quadratam reſidui; hæc enim radix, erit latus quæſitum.

Demonſtratio hujus problematis deducenda erit ex eo theoremate Geometriæ, in quo probatum fuit, quadratum hypo-

thenusæ trianguli rectanguli, æquale esse quadratis duorum aliorum laterum.

Problema tertium.

Cognitis cujusvis trianguli rectilinei, duobus angulis & uno latere, detegere tertium angulum, & alia duo latera.

Solutio.

1°. Tertius angulus facilè invenitur, quia est id, quod superest, postquam summa duorum aliorum angulorum substracta fuit ex 180.

2°. Ut inveniantur alia duo latera, hæc instituenda est analogia.

Ut sinus anguli lateri cognito oppositi, ad hoc latus;
Sic sinus uniuscujusque ex aliis angulis, ad latus sibi oppositum.

Demonstratio hujus problematis deducitur ex eo, quòd sinus sint lateribus proportionales.

Problema quartum.

Cognitis cujusvis trianguli rectilinei, duobus lateribus & uno angulo, uni ex lateribus cognitis opposito, detegere tertium latus, & duos alios angulos, dummodò tamen angulus oppositus alteri lateri cognito, sit acutus.

Solutio.

Ut inveniatur ſecundus angulus, inſtituatur hæc analogia.

Ut latus oppoſitum angulo cognito,
ſe habet ad ſinum hujus anguli;
Sic latus alterum cognitum ſe habet
ad ſinum anguli oppoſiti.

Deinde, ſecundo angulo cognito, cognoſcitur tertius; unde ad inveniendum tertium latus, inſtituenda erit hæc alia analogia.

Ut ſinus anguli primùm cogniti, ad
latus ſibi oppoſitum;
Sic ſinus tertii anguli, ad tertium
latus quæſitum.

Demonſtratio hujus problematis, petenda eſt ex primo theoremate, & ex naturâ trianguli rectilinei.

Problema quintum.

Cognitis tribus trianguli lateribus, detegere tùm tres angulos, tùm perpendicularem, à maximo angulo, ad maximum latus ductam.

Solutio.

Sit fig. 52, in quâ latera A B, B C, CA, ſint cognita, 1°. Ut inveniatur an-

gulus A, quem maximum & minimum latus constituunt, instituenda est analogia sequens, quæ deducitur ex theoremate primo.

Maximum latus AB, se habet ad summam duorum aliorum laterum;

Ut horum differentia BG, se habet ad BF, quæ est differentia partium maximi lateris, per perpendicularem secti.

2°. Quartus terminus inventus substrahendus erit ex maximo latere; & media pars residui, erit latus AE, trianguli rectanguli AEC, in quo tria erunt cognita, scilicet angulus rectus E, latus AC, & latus AE; adeòque facilè poterit inveniri angulus A.

3°. Cognito angulo A, utrique triangulo communi, facilè poterit inveniri perpendicularis CE, & consequenter detegi poterunt reliqui duo anguli, hoc modo. Ut detegatur perpendicularis CE, instituatur hæc analogia.

Ut sinus totalis, ad latus cognitum AC,

Sic sinus anguli detecti A, ad quartum terminum, qui erit perpendicularis quæsita.

Deinde, ut inveniatur angulus B, in

triangulo A C B, instituatur hæc analogia.

Ut latus C B, ad sinum anguli A,
Sit latus A C, ad sinum anguli quæsiti B.

Monitum.

Quoniam sinus, secantes & tangentes adhibentur, ut triangula possint metiri; & quoniam multiplicationes & divisiones in analogiis, difficiles sunt & tædiosæ; ideò de tabulis sinuum, tangentium & secantium, quædam sunt dicenda: deinde ostendemus, quomodò logarithmorum ope, vitentur multiplicationes & divisiones; quamobrem agemus 1°. de tabulis sinuum, tangentium & secantium. 2°. Dicemus de logarithmis.

De tabulis sinuum, tangentium & secantium.

Quoniam sinus, tangentes & secantes anguli unius circuli, similes sunt sinubus, tangentibus & secantibus, æqualium angulorum cujusvis alterius circuli; ideò Mathematici investigarunt, quænam essent rationes sinuum, tangentium & secantium ejusdem circuli, relativè ad se invicem: quo detecto, supposuerunt, radium distributum in 100000 partes æquales, vel in

10000000, ut fractiones, si quæ sint, negligi possint sine errore sensili. Ut igitur rationes illæ detegantur, sint sequentes propositiones.

Propositio prima.

Cognito sinu alicujus arcûs, verbi gratiâ, E F, (fig. 50), detegere sinum complementi.

Solutio.

Sinus cognitus ad quadratum evehatur, & substrahatur ex quadrato sinûs totalis, seu radii, residuum erit quadratum sinûs quæsiti; unde si hujus quadrati extrahatur radix quadrata, aderit sinus complementi E G. Ratio est, quia quadratum radii B E, æquale est quadratis laterum E F, & F G.

Propositio secunda.

Ut sinus complementi E G, (fig. 50), ad sinum arcûs E C, seu E F, ita sinus totalis, seu radius B C, ad tangentem ejusdem arcûs H C. Ratio est, quia sinus complementi G E, æqualis est parti radii B F; adeòque cùm triangula B E F, & B H C, sint similia, latus B F, est ad latus E F; ut latus B C, ad latus C H.

Propositio tertia.

Radius, est medium proportionale, sinum complementi inter & secantem arcûs: verbi gratiâ, in fig. 50, dico, GE, aut illi æqualis, BF, se habere ad radium BE, aut BC, sicut radius BC, se habet ad secantem BH.

Demonstratio.

In triangulo BHC, duæ sunt bases parallelæ HC, & EF; ergo BF, BE :: BE, BH; nam BE, sumi potest pro BC.

Propositio quarta.

Radius, est medium quoddam proportionale, tangentem arcûs inter & tangentem complementi: quod ut probetur, sit arcus BC, (fig. 55), cujus tangens sit DC, cujus complementum sit BE, hujusque tangens sit EF: dico, tangentem CD, esse ad radium AB; sicut idem radius AB, se habet ad tangentem complementi EF.

Demonstratio.

Triangula ACD, & AEF, sunt similia: quia anguli C, & F, sunt recti, & anguli A & F, sunt alterni interni; quamobrem latera homologa sunt proportionalia; ergo latus minimum CD, prioris

trianguli, ſe habet ad latus medium A C, ejuſdem trianguli; ſicut latus minimum A E, poſterioris trianguli, ſe habet ad latus medium E F, ejuſdem trianguli, ſeu tangens C D, eſt ad radium A C; ſicut radius A E, ad tangentem E F.

Propoſitio quinta.

Tangens arcûs ſe habet ad ipſius ſecantem, ſicut radius ad ſecantem complementi: quod ut probetur, ſit fig. præcedens 55. Dico, tangentem C D, arcûs C B, ſe habere ad ipſius ſecantem A D; ſicut radius A B, ſe habet ad ſecantem complementi A F.

Demonſtratio.

Triangula A C D, & A E F, ſunt ſimilia (per præced.); ergo eorum latera homologa proportionalia ſunt: porrò, latus C D, & latus A E, opponuntur angulis æqualibus D A C, & A F E; ergo ſunt homologa. Pariter, latus A D, & latus A F, opponuntur angulis rectis C & E; ergo ſunt etiam homologa; ergo tangens C D, ſe habet ad ſecantem A D, ſicut radius A E, ſe habet ad ſecantem A F.

Monitum.

Dum inſtituuntur analogiæ, ſeu pro-

portiones in Trigonometriâ, ad inveniendum quartum terminum proportionalem, ſecundus & tertius terminus per ſe invicem ſunt multiplicandi, & productum per primum eſt dividendum; unde quia vitandarum fractionum cauſa, termini, qui reperiuntur in tabulis ſinuum, tangentium & ſecantium, ſex, aut octo caracteribus conſtant; ideò calculi multùm laboris & tædii continent, imò in tam longis operationibus valdè timendum eſt, ne quidam error irrepat. Hinc Neperus, de matheſi benè meritus, pro ſinubus, tangentibus & ſecantibus, alios ſubſtituit numeros, quibus mediantibus, per ſolam additionem obtinetur, quod per multiplicationem inveniebatur; & per ſolam ſubſtractionem detegitur, quod per diviſionem perficiebatur: ejuſmodi numeros alios, *logarithmos* vocavit, de quibus quædam ſunt ſubjungenda.

De logarithmis.

Logarithmi, ſunt numeri arithmeticè proportionales, pro numeris geometricè proportionalibus ſubſtituti: verbi gratiâ, ſit ſeries A, numerorum geometricè proportionalium, cui ſubjiciatur ſeries B, numerorum arithmeticè proportionalium.

A.	1	2	4	8	16	32	64	128	256	512	1024	2048, &c.
B.	0	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11, &c.

Dico, numeros ſeriei B, eſſe logarithmos numerorum ſibi correſpondentium, in ſerie A.

Ut autem uſum harum ſerierum intelligas, ſupponamus, me velle his tribus numeris datis, 4, 8, 16, quartum proportionalem invenire; regula vulgaris præcipit, ut ſecundus & tertius per ſe invicem multiplicentur; loco hujus regulæ, hæc alia traditur. Logarithmus numerorum 8 & 16, nempe 3 & 4 addantur; & aderit ſumma 7, quæ eſt logarithmus numeri 128; hoc eſt, ſi multiplices 16 per 8, productum erit 128, quod juxtà regulam vulgarem dividendum erit per 4; ſed loco hujus diviſionis, ſubſtrahendus eſt logarithmus primi termini 4, nempe 2, ex 7, & ſuperſunt 5: dico 5, eſſe logarithmum quarti termini quæſiti 32.


Ubi notabis, quamlibet ſeriem terminorum arithmeticè proportionalium, pro logarithmis aſſumi poſſe.

Apparet autem ex ſupradicto ſchemate, inter terminos progreſſionis Geometricæ, multos eſſe numeros, quorum deſunt logarithmi; unde ut numerorum omnium haberentur logarithmi, loco primi loga-


rithmi, 1, accipi possunt 1000000; loco logarithmi, 2, potest accipi 2000000, & sic consequenter; tunc enim obtineri possunt, sine errore sensibili, logarithmi numerorum, qui sunt inter terminos progressionis Geometricæ.

Ubi primus logarithmorum caracter, est zero; tunc logarithmus pertinet ad numeros, qui sunt inter numeros progressionis Geometricæ, infrà numerum 10: ubi primus ille caracter, est unitas; tunc logarithmus pertinet ad numeros, qui sunt inter 10 & 100: ubi primus ille caracter, est 2; tunc logarithmus pertinet ad numeros, qui sunt inter 100 & 1000, & sic consequenter. Hinc primi illi caracteres vocantur, *caractericæ.*

In variis logarithmorum tabulis, indicantur varii logarithmorum usus.



GNOMONICA.



GNOMONICA,

SEU

DE HOROLOGIIS SOLARIBUS.

GNOMONICA, est ars horologia solaria suprà varias superficies describendi. Cùm autem raro occurrant superficies curvæ, suprà quas describenda sint ejusmodi horologia; ideò trademus solummodò præcepta, de iis suprà superficies planas delineandis: quod ut fiat, præmittemus definitiones quasdam, & propositiones nonnullas quasi præparatorias.

Definitiones.

Prima. Stilus, est virga ferrea, superficiei planæ puncto cuidam firmiter infixa, quæ, vel extremitatis suæ umbrâ designat horas, vel in cujus extremitate factum fuit foramen, radium solarem excipiens, qui in varias incidendo lineas, varias easdem

horas designet. Hæc virga ferrea obliquè debet infigi suprà superficiem planam.

Secunda. Pes stili, est plani punctum, cui perpendiculariter insistit extremitas stili.

Tertia. Axis, est alia virga ferrea accuratè recta, per extremitatem stili transiens, quæ per umbram totius suæ longitudinis, horas indicat. Hæc dicta fuit axis: quia spectari debet ut portio axis terrestris, cui est parallela.

Quarta. Centrum horologii, est plani punctum, in quo axis & omnes lineæ horariæ concurrunt; unde si suprà planum illud non concurrant, horologium centro carere dicitur.

Quinta. Linea meridiana duplex est distinguenda, loci & plani. Meridiana loci, est ea, suprà quam axis umbra cadens, denotat medium Solis cursum, suprà horizontem illius loci. Meridiana plani, quæ vocatur aliter *substilaris*, est ea, quæ medium Solis cursum suprà planum denotat.

Sexta. Linea æquinoxialis, est ea, quæ suprà planum, Æquatorem terrestrem designat, seu quæ portio est circuli, Æquatori terrestri paralleli.

Septima. Linea horizontalis, est ea, quæ transit per stili pedem, & est illius loci horizonti parallela.

Octava. Planum polare, eſt illud, quod parallelum eſt axi Terræ, & ſuprà quod circulus meridianus loci perpendiculariter inſiſtit.

Nona. Planum æquinoxiale, eſt illud, quod parallelum eſt Æquatori terreſtri, & cui perpendiculariter inſiſtit circulus meridianus loci.

Decima. Planum verticale, eſt illud, quod perpendiculare eſt ſuprà horizontem loci. Quod ſi per circulum meridianum, loci perpendiculariter ſecetur, vocatur *verticale primarium*, eſtque vel auſtrale, vel boreale. Quod ſi ſit circulo meridiano loci parallelum; tunc vel reſpicit ortum, & vocatur *orientale*; vel reſpicit occaſum, & dicitur *occidentale.* Quod ſi planum verticale nullum ſit, ex mox deſignatis, vocari ſolet *declinans.*

Propoſitio prima.

Suprà planum, pedem ſtili obliquè defixi reperire.

Solutio.

Ex extremitate ſtili, vel ope circini, vel ope funiculi, deſignentur ſuprà planum tria puncta, æqualiter ab illâ extremitate diſtantia: tùm per Elementa Geometriæ,

describatur circumferentia circuli, per illa tria puncta transiens; centrum hujus circuli, erit pes stili quæsitus. Nam linea recta ab extremitate stili ad centrum illud ducta, perpendicularis est suprà planum; ut per se patet.

Propositio secunda.

Lineam substilarem suprà planum aliquod invenire.

Solutio.

Ex pede stili, diversâ circini aperturâ describantur multi circuli: tùm lucente Sole, suprà unumquemque duo notentur puncta, in quibus umbra extremitatis stili circulos illos secat, dum contrahitur & protenditur suprà planum: deinde arcus inter singula bina puncta intercepti, bifariam dividantur per lineam, à pede stili ductam. Dico lineam hanc, esse substilarem quæsitam.

Demonstratio.

Linea substilaris, est meridiana plani: at linea mox inventa, est meridiana plani; quandoquidem æqualiter distat à punctis, eandem Solis elevationem suprà planum denotantibus. Ideò autem ex pede stili multi describendi sunt circuli diversæ ma-

gnitudinis: quia quando linea bifariam secans illos omnes arcus, est eadem, certiores sumus, ipsam esse veram substilarem.

Propositio tertia.

Lineam meridianam alicujus loci delineare.

Solutio.

1°. Si planum suprà quod invenienda est linea meridiana, sit horizonti parallelum; tunc substilaris erit meridiana quæsita, quandoquidem designat medium Solis cursum suprà hoc planum.

2°. Si planum sit verticale, invenienda erit substilaris. Quod si substilaris horizonti sit perpendicularis, erit meridiana quæsita. Quod si substilaris sit obliqua suprà horizontem, indicabitur posteà, ubi dicetur de delineandis horologiis, verticalibus declinantibus, quomodo ipsius ope vera loci meridiana detegatur.

Propositio quarta.

Lineam rectam per stili pedem transeuntem, in gradus dividere.

Solutio.

Sit linea A B, (fig. 1) designans sectionem alicujus magni circuli cum plano,

transſiens per pedem ſtili C, & quæ dividenda proponatur in gradus... A pede ſtili C, datæ lineæ perpendicularem erige C D, ejuſdem longitudinis cum ſtilo: tùm à puncto D, intervallo quovis deſcribatur, vel quadrans circuli C F, vel ſemicirculus F C G, ipſumque divide, verbi gratiâ, in quindenos gradus, & lineæ dividentes producantur uſque ad lineam datam; hæc ſecabitur in gradus quindenos, in punctis 1, 2, 3, 4, 5.

Demonſtratio.

Extremitas ſtili E, ſupponitur centrum omnium magnorum circulorum, cùm ſit centrum ſphæræ. Si igitur ex illo puncto deſcribatur quilibet circulus, & dividatur in ſuos gradus; evidens eſt, omnes circulos ex eodem puncto deſcriptos, fore diviſos in ſuos gradus, per lineas priorem circumferentiam dividentes & productas. Quoniam autem ex apice ſtili non facilè deſcribi poteſt circulus, ideò ſuprà planum aſſumitur longitudo ſtili C D, quæ ſicut ſtilus, perpendicularis ſit ſuprà lineam datam.

Propoſitio quinta.

Lineam rectam per ſtili pedem non tranſeuntem, in gradus dividere.

Solutio.

Sit linea A B, (fig. 2) deſignans ſectionem magni cujuſdam circuli cum plano, quæ non tranſeat per pedem ſtili C, & quæ proponatur in gradus dividenda. A pede ſtili ducatur perpendicularis C D F, ad lineam datam: tùm per pedem ſtili C, ducatur C E, parallela lineæ datæ, & ejuſdem longitudinis cum ſtilo: & à puncto E, ducatur recta ad punctum D, in quo perpendicularis C D, ſecat datam; & tandem ſuprà perpendicularem C D, productam, aſſumatur D F, ejuſdem longitudinis, cum lineâ E D. Dico, ſi à puncto F, deſcribatur quadrans circuli in quindenos gradus diviſi, per lineas ad datam productas, datam in quindenos gradus fuiſſe diviſam.

Demonſtratio.

Punctum E, ſeu extremitas ſtili, eſt centrum cujuſvis magni circuli; ergo eſt centrum illius magni circuli, cujus linea A B, ſupponitur ſectio cum plano; unde ſi ex E, deſcribatur parvus circulus intervallo E D, & dividatur in quindenos gradus, lineæ per diviſiones ductæ, & uſque ad circumferentiam productæ, divident magnum circulum in quindenos gradus.

Perinde autem eſt, ſive ex puncto E, ſive ex puncto F, deſcribatur parvus circulus; quia linea D F, perpendicularis ſuprà lineam datam A B, æqualis eſt lineæ E D.

De horologiis æquinoxialibus.

Problema primum.

Suprà planum Æquatoris terreſtris, aut ſuprà planum ipſi parallelum, horologium ſolare deſcribere.

Solutio.

Ex aliquo hujus plani puncto, verbi gratiâ, ex A, deſcribatur circulus, qui in viginti quatuor partes æquales dividatur: dico, radios per ſingulas diviſiones tranſeuntes, eſſe lineas horarias; unde ſi ex centro, ſtilum perpendiculariter ad planum erigas, umbrâ totius ſuæ longitudinis indicabit.

Demonſtratio.

Cùm ſtilus, hoc in caſu, ſit pars axis terreſtris, & circuli circumferentia ſuperficiem ſphæræ deſignet; umbra axis circumferentiam dividit in viginti quatuor partes æquales, pro viginti quatuor horis.

Annotanda.

Primum. Si planum illud collocandum ſit in plano Æquatoris terreſtris, perpendiculariter ad horizontem erit erigendum; ita ut linea meridiem deſignans, perpendicularis ſit ad horizontem.

Secundum. In plano Æquatoris terreſtris, horologium ſex tantùm horas ante meridiem, & ſex tantùm horas poſt meridiem indicabit; unde cæteræ non erunt delineandæ Prætereà, per ſex tantùm menſes illuſtrabitur à Sole; quamobrem ſi planum duas habeat ſuperficies parallelas, unam, quæ Polum arcticum directè reſpiciat, & alteram, quæ directè obvertatur Polo antarctico; ſuprà utramque ſimilia deſcribenda erunt horologia.

Tertium. Si planum illud coincidat cum horizonte alterutrius Poli, ſic diſponi debet, ut ſit horizonti parallelum, & meridiana coincidat cum illius loci meridianâ; tuncque viginti quatuor horæ erunt notandæ: quia Sol per ſex menſes non occidit.

Quartum. Si Æquator terreſtris obliquus ſit ſuprà horizontem alicujus loci; tunc deſcripto horologio ſuprà planum aliquod, ejuſmodi planum ſuprà horizontem ſic erit erigendum, ut cum ipſo

constituat angulum æqualem elevationi Æquatoris terrestris, suprà eumdem horizontem, & ita ut meridiana horologii coincidat cum meridianâ loci. Elevatio autem Æquatoris terrestris, semper est complementum elevationis Poli suprà horizontem alicujus loci, ut dictum fuit in sphærâ: verbi gratiâ, si elevatio Poli sit 48°. 50. in aliquo Terræ loco, elevatio Æquatori erit 41°. 10.

Quintum. Si locus, in quo describitur hæc horologii species, jaceat Æquatorem inter & alterutrum Polum, angulus elevationis plani suprà horizontem fieri debet versùs Polum oppositum.

Sextum. Quando hæc horologii species suprà planum aliquod describitur, ita ut planum hoc erigendum sit suprà horizontem, duas habere debet superficies parallelas, suprà quas describantur horologia: quia Sol per sex tantùm menses unamquamque illustrat.

De horologiis polaribus.

Problema secundum.

Horologium polare describere.

Solutio.

Figura quarta supponatur planum polare

ſuprà quod deſcribendum ſit horologium ſolare. Ex puncto in medio plani aſſumpto, ducatur horizontalis BC, cui per punctum idem erigatur perpendicularis A 12, quæ erit meridiana, & ſuprà quam aſſumatur pars A 12, æqualis longitudini ſtili: tùm à puncto 12, deſcribatur circuli quadrans, cujus circumferentia in quindenos gradus dividatur, & per diviſiones ducantur occultæ uſque ad horizontalem, ſuprà quam lineas horarias deſignabunt; unde ſi per ejuſmodi puncta ducantur lineæ parallelæ meridianæ, ſeu quæ ſint horizontali perpendiculares, aderunt lineæ horariæ. Denique, ſi diſtantiæ linearum horariarum transferantur in alteram meridianæ partem, & perpendiculares ſuprà horizontalem pariter erigantur, aderunt omnes lineæ horariæ deſcriptæ; unde matutinæ ad lævam erunt notandæ, veſpertinæ verò, ad dextram. In hoc autem horologio ſola ſtili extremitas, umbrâ ſuâ deſignabit horas.

Demonſtratio.

1°. Quoniam planum polare & meridiana loci ſeſe perpendiculariter interſecant, ideò linea per pedem ſtili tranſiens, horizontalis eſt, reſpectu illius loci. 2°. Extremitas ſtili 12, eſt centrum magnorum

omnium circulorum ſphæræ, adeòque circuli horizontalis. 3°. Quia punctum 12, ſive ſit in aëre, ſive demittatur perpendiculariter ad horizontalem, ſemper eſt centrum diviſionis hujus horizontalis; adeòque deſcribendo ex alterutrâ parte meridianæ circuli quadrantem, huncque dividendo in quindenos gradus; lineæ occultæ per diviſiones ductæ, & ad horizontalem productæ, deſignabunt ſuper ipſam puncta horaria. 4°. Denique, ideò per illa puncta perpendiculares horizontali erigendo, habentur lineæ horariæ: quia horizontalis illa parallela eſt Æquatori terreſtri, quem omnes circuli meridiani, adeòque omnes lineæ horariæ perpendiculariter ſecant. Quod ſi ſuprà planum aliquod mobile horologium polare deſcripſeris, & in aliquo loco volueris ipſum diſponere, fac ut cum horizonte loci, conſtituat angulum æqualem elevationi Poli ſuprà horizontem illum, & versùs eumdem Polum: deinde meridiana loci perpendiculariter ſecet tuum planum.

Quod ſi volueris axem adhibere, per extremitatem ſtili virgam ferream rectam ita diſpone, ut parallela ſit plano.

De horologiis horizontalibus.

Antequam præcepta tradamus de horo-

logiis hujus ſpeciei delineandis, tria præmittemus lemmata, quæ ſic ſe habent.

Lemma primum.

Tangens arcûs, vel anguli, quadraginta quinque graduum, æqualis eſt radio: quod ut probetur, ſit figura quinta.

Demonſtratio.

Angulus C A B, rectus eſt; ergo reliqui duo anguli ſunt æquales angulo recto: quoniam igitur angulus A B C, eſt graduum 45, angulus A C B, eſt etiam graduum 45; ergo latera his angulis oppoſita, ſunt inter ſe æqualia: at hæc latera ſunt tangens & radius; proindeque, &c.

Lemma ſecundum.

Secans arcûs graduum 60, æqualis eſt diametro: quod ut demonſtretur, ſit figura ſexta, in quâ angulus A B C, ſupponitur eſſe graduum 60; & linea B C, ſupponitur ſecans hujus anguli. Hoc poſito, dico ſecantem hanc, æqualem eſſe diametro.

Demonſtratio.

Linea A E, eſt chorda anguli graduum 60; ergo æqualis eſt radio: deinde triangulum A B E, æquilaterum eſt; ergo an-

gulus B A E, eſt etiam graduum 60; ergo angulus C A E, eſt graduum 30: aliundè verò, quoniam Angulus B A C, rectus eſt, & angulus A B C, ſupponitur graduum 60; ideò angulus A C B, eſt graduum 30; ergo anguli C A E, A C E, ſunt æquales; ergo latera his oppoſita, ſunt inter ſe æqualia; ergo ſecans B E C, æqualis eſt duobus radiis, ſeu diametro.

Lemma tertium.

Tangens anguli graduum 60, triplo longior eſt tangente graduum 30: quod ut demonſtretur, ſit eadem figura ſexta, in quâ angulus B A C, ſupponitur graduum 60. Linea A C, ejus tangens: angulus A B C, biſariam dividatur per lineam B D; tunc linea A D, erit tangens graduum 30. Hoc poſito, dico tangentem anguli A B C, ſeu A C, triplám eſſe tangentis anguli A B D, ſeu A D.

Demonſtratio.

Baſis A C, trianguli A B C, diviſa fuit per lineam B D, in duas partes, quæ proportionales ſunt duobus aliis lateribus AB, BC, hoc eſt, pars C D, eſt ad partem A D, ut latus B C, ad latus A B; at (per lemma ſecundum) latus B C, eſt duplum lateris A B; ergo pars baſis D C,

dupla est partis alterius A D; ergo tota basis, seu tangens AC, anguli graduum 60, est tripla tangentis A D, anguli graduum 30.

Horologium horizontale describere.

Solutio.

1°. Inveniatur pes stili, & inveniatur substilaris, quæ erit meridiana loci. 2°. Ex stili pede suprà meridianam, perpendicularem erige, ejusdem longitudinis cum stilo: verbi gratiâ, A D, (fig. 7), & à puncto D, suprà lineam A D, constituatur angulus æqualis complemento elevationis Poli suprà horizontem illius loci, nempe A D B, ita ut linea D B, meridianam secet in puncto B, quod erit horologii centrum; & linea D B, designabit axem. 3°. Per punctum D, erigatur axi perpendicularis, quæ meridianam secabit in puncto E, per quod si perpendicularem suprà meridianam erigas, erit linea æquinoxialis, suprà quam erunt notanda puncta horaria hoc modo. Transferatur longitudo lineæ D E, suprà meridianam: verbi gratiâ, ab E, ad F, ex quo ad alterutrum meridianæ latus describatur quadrans circuli, & dividatur in quindenos gradus, seu in sex partes æquales, & à puncto F, ducantur occultæ per divisiones, & pro-

ducantur usque ad æquinoxialem, suprà quam designabunt puncta horaria; unde si à centro B, per hæc puncta ducantur lineæ rectæ, erunt lineæ horariæ. 4°. Distantiæ horum punctorum transferendæ erunt à meridianâ, in alteram æquinoxialis partem, ut habeantur puncta horaria ex illâ parte, observando horas matutinas versùs occasum esse notandas; serotinas verò, versùs ortum.

Quod si per centrum B, ducatur perpendicularis suprà meridianam, indicabit ex unâ parte horam sextam matutinam, & ex alterâ parte, sextam serotinam. Præterea, si hora quarta serotina, & quinta pariter serotina, ultrà centrum horologii producantur, indicabunt quartam & quintam matutinas. Simili modo, si septima & octava horæ matutinæ producantur, indicabunt septimam & octavam horas serotinas.

Demonstratio.

In triangulo A B D, angulus A, est rectus; angulus D, æqualis est complemento elevationis Poli, seu elevationi Æquatoris, suprà horizontem; ergo angulus B, æqualis est elevationi Poli. Jam verò, extremitas stili D, est centrum sphæræ, adeòque si ex puncto D, duceretur perpendi-

cularis ſuprà æquinoxialem, & hinc & inde deſcriberetur circulus, & divideretur in quindenos gradus lineæ rectæ, tranſeundo per diviſiones, denotarent lineas horarias, ſuprà æquinoxialem. Perinde autem eſt, ſive ex puncto D, ſive ex puncto F, deſcribatur circulus, quia linea EF, æqualis eſt lineæ DE.

Non rarò contingit, lineas occultas longiùs excurrere, quàm ut æquinoxialem ſecent. Hoc in caſu à puncto, in quo hora tertia ſerotina ſecat æquinoxialem, ducatur linea parallela horæ nonæ matutinæ; hæc parallela ſecabit lineas horarias primam & ſecundam; unde ſi ſuprà parallelam aſſumas diſtantias ſecundæ & primæ, à puncto in quo hora tertia ſecat æquinoxialem, eaſque ſuprà parallelam eandem transferas in alteram parallelæ partem, habebis in hâc parallelâ puncta horæ quartæ & quintæ poſt meridiem. Si pariter per punctum, in quo hora nona matutina ſecat æquinoxialem, ducas lineam parallelam horæ tertiæ veſpertinæ, obtinere poteris horas octavam & ſeptimam matutinas.

Eſt & alia methodus horologii horizontalis deſcribendi, in praxi longè tutior priori, quæ ſic ſe habet. Inventis meridianâ BF, & æquinoxiali tranſeunte per meridianæ punctum E, ut in praxi præce-

denti, à puncto E, & intervallo ED, describatur circulus, ut in figurâ nonâ, hic secabit meridianam in punctis F G, & æquinoxialem in punctis H & I. Dico, 1°. puncta hæc pertinere ad horas nonam matutinam & tertiam serotinam: quia linea EH, & linea EI, sunt tangentes angulorum quadraginta quinque graduum, quæ (per lemma primum) sunt æquales radio. Deinde si longitudo diametri FG, à puncto F, hinc & inde transferatur suprà æquinoxialem, in puncto L & M: dico, 2°. puncta hæc pertinere ad horas octavam matutinam & quartam serotinam: quia lineæ FL, & EM, sunt secantes angulorum sexaginta graduum, quæ (per lemma secundum) æquales sunt diametro. Si præterea à punctis L & M, longitudo diametri hinc & inde transferatur suprà æquinoxialem in puncto N, & O: dico, 3°. hæc puncta pertinere ad horas septimam matutinam & quintam serotinam: quia in LEF, angulus in E, est rectus, angulus in F, est graduum 60; ergo angulus in L, est graduum 30. Jam verò, FLN, est supplementum anguli in I; ergo est graduum 150: & singuli anguli in F, & N, sunt graduum 15, & consequenter latera opposita LF, LN, sunt æqualia. Quod si longitudo lineæ F 9, transferatur

à puncto 9, suprà æquinoxialem in punctum O; & eadem longitudo transferatur à puncto 3, suprà eandem æquinoxialem in punctum P. Dico, 4°. puncta O & P, pertinere ad lineas horarias, primam serotinam, & undecimam matutinam: quia anguli O F E, E F P, sunt singuli graduum 15. Si tandem assumatur tertia pars lineæ E L, & transferatur hinc & inde suprà æquinoxialem à puncto E, in puncta Q & R, dico denique, hæc puncta pertinere ad lineas horarias, secundam serotinam, & decimam matutinam: quia tangens graduum 60, tripla est tangentis graduum 30, (per lemma tertium).

Nonnulli, ad vitandum vel minimum errorem in horologiis horizontalibus delineandis, rem totam calculo subjecerunt: quod ut intelligas, hanc instituunt analogiam. Ut sinus totus ad sinum elevationis Poli alicujus Terræ loci, ita tangens distantiæ Solis à meridianâ, pro quâvis horâ quæsitâ, ad tangentem anguli quæsiti. Ubi notabis, Solem à meridianâ quindecim gradibus distare horis, undecimâ matutinâ, & primâ horâ serotinâ; triginta gradibus, horis decimâ matutinâ, & secundâ serotinâ; & sic consequenter, per quindenos gradus, pro cæteris horis.

Juxtà hanc analogiam, distantiæ hora-

rum & cujusque horæ partium, à meridianâ per calculum inventæ sunt, ut sequitur pro altitudine Poli, 48. 50. ut Lutetiæ, in horologio horizontali.

45′	2°.	50′	45′	45′	40°.	39′	45′
30.	5°.	40.	30.	30.	44.	27.	30.
15.	8.	32.	15.	15.	48.	25.	15.
XI.	11.	24	I.	VIII.	52.	31.	IV.
45.	14.	20.	45.	45.	56.	46.	45.
30.	17.	19.	30.	30.	61.	11.	30.
15.	20.	25.	15.	15.	65.	44.	15.
X.	23	30.	II.	VII.	70.	25.	V.
45.	26.	42.	45.	45.	75.	12.	45.
30.	30.	1.	30.	30.	80.	5.	30.
15.	33.	26.	15.	15.	85.	2.	15.
IX.	36.	58.	III.	VI.	90.		VI.

Horologium orientale describere.

Solutio.

In parte sinistrâ plani directè respicientis ortum, selige punctum; verbi gratiâ, A, (fig. 8) ipsumque spectabis ut pedem stili: per punctum hoc ducatur horizontalis C A, suprà quam describatur arcus C D, æqualis elevationi Æquatoris, suprà horizontem illius loci: tùm per pedem stili ducatur D A E, quæ erit lineæ æqui-

noxialis, cui per pedem ſtili A, erige perpendicularem ejuſdem longitudinis, cum ſtilo: verbi gratiâ, A F, & à puncto F, versùs dextram deſcribatur circuli quadrans, ipſumque in ſex partes æquales divide, & per diviſiones duc occultas, uſque ad æquinoxialem, hæc puncta ſuprà æquinoxialem erunt horaria. Ut igitur habeas lineas horarias, per illa puncta erigantur perpendiculares ſuprà æquinoxialem, & abſolutum erit horologium, ita ut linea A F, ſit hora ſexta matutina. Si ſtilus perpendiculariter erigatur ſuprà planum, extremitate ſuæ umbræ horas indicabit. Si velis axem addere per extremitatem ſtili, virgam ferream rectam plano parallelam diſpone. Si denique horas quintam & quartam matutinas notare velis, ſuprà æquinoxialem transfer diſtantias horarum ſeptimæ & octavæ.

Demonſtratio.

1°. Ideò per pedem ſtili A, deſcribitur horizontalis: quia planum orientale & horizon illius loci, quadrante circuli diſtant à ſe invicem. 2°. Ideò angulus CAD, fit æqualis elevationi Æquatoris illius loci, quia reipsâ Æquator, ſeu æquinoxialis ſupponitur totidem gradibus ſuprà horizontem evectus. 3°. Linea A F, æqualis

longitudini ſtili, deſignat horam ſextam: quia meridiana loci & circulus ſextæ horæ diſtant à ſe invicem gradibus 90. Ideò denique, lineæ horariæ perpendiculariter ſecant æquinoxialem: quia omnes circuli meridiani ſecant perpendiculariter Æquatorem.

Eodem modo deſcribetur horologium occidentale; ſed ordine inverſo, id eſt, punctum A, aſſumendum erit versùs dextram.

Horologium verticale primarium delineare.

Solutio.

Eodem planè modo deſcribitur hæc horologii ſpecies, ac horologium horizontale; excepto quod in horizontali, axis cum meridiano conſtituat in centro angulum æqualem elevationi Poli; in verticali autem primario, conſtituat angulum æqualem complemento elevationis Poli, ſeu æqualem elevationi Æquatoris. Hinc ut per calculum inveniantur lineæ horariæ, inſtitui debet hæc alia analogia.

Se habet ſinus totus ad ſinum complementi elevationis Poli ſuprà horizontem illius loci;

Sicut tangens diſtantiæ Solis à meridiano, pro unâquâque horâ, ad tangentem anguli quæſiti.

Horologium verticale declinans describere.

Solutio.

Ut hoc problema ſolvatur, duas ſequentes propoſitiones ſubjicio.

Suprà planum verticale declinans, meridianam invenire.

A pede ſtili B, (fig. 20) demittatur perpendicularis ad horizontalem BL, nempè BH, ejuſdem longitudinis, cum ſtilo: tùm ab uno ſubſtilaris puncto, verbi gratiâ, ab A, ſuprà aut infrà horizontalem aſſumpto, prout Polus Borealis erit ſuprà, aut infrà planum viſibilis, demittatur perpendicularis ad horizontalem, qualis eſt linea AGO, quæ habenda erit velut meridiana, ſed hypothetica tantùm. Ab eodem ſubſtilaris puncto A, & in parte ſubſtilari aversâ, fiat angulus, qui ſit complementum elevationis Poli illius loci, qualis eſt angulus CAD: tùm à puncto G, in quo meridiana hypothetica ſecat horizontalem, & intervallo GD, deſcribatur arcus, qui vel ſecabit longitudinem ſtili demiſſam BH, vel tranſibit per ejus extremitatem H, vel extrà longitudinem hanc cadet. Si cadat extrà longitudinem ſtili, ſignum erit, planum propoſitum, vel ortum, vel occaſum directè

respicere, adeòque suprà ipsum delineari non posse meridianam. Si arcus per extremitatem stili H, transeat, meridiana hypothetica, vera erit meridiana quæsita: si tandem arcus ille secet BH, verbi gratiâ, in I; tunc à puncto G, & intervallo GH, describatur arcus alter, qui secabit horizontalem in puncto L: tùm à puncto L, ducatur linea LM, parallela lineæ DA. Quod si à puncto substilaris M, demittatur alia linea perpendicularis ad horizontem, ut M 12, hæc erit vera loci meridiana.

Verticale declinans absolvere.

Inventis substilari & verâ meridianâ, per propositionem præcedentem, à pede stili B, (fig. 11) erige perpendicularem suprà substilarem ejusdem longitudinis, cum stilo, nempe BC, & à centro M, ducatur recta MC, quæ erit axis: per punctum C, erigatur axi perpendicularis CD, secans substilarem in D: per punctum hoc D, erige perpendicularem suprà substilarem, & habebis æquinoxialem, quæ secando horizontalem in E, dabit punctum lineæ sextæ: ex puncto D, transfer longitudinem lineæ DC, suprà substilarem in E, à quo ducatur linea recta ad punctum, in quo meridiana & æquinoxialis

xialis sese intersecant, seu ad punctum P: tùm à puncto F, ad unum latus lineæ F P, describe quadrantem circuli, ipsumque in sex partes æquales divide; occultæ per divisiones ad æquinoxialem usque ductæ, suprà ipsum indicabunt puncta horaria; unde à centro M, ad illa puncta ducantur rectæ, aderunt lineæ horariæ.

Demonstratio duarum propositionum.

1°. Angulus, qui sit complementum elevationis Poli, constitui debet suprà horizontalem; ut scilicet axis horologii parallelus sit axi Terræ. 2°. Describendo arcum ex puncto G, & intervallo GD; ideò videndum est, an secet longitudinem demissam stili, an per ejus extremitatem transeat, an tandem longitudinem hanc nullatenùs attingat: quia si ipsam secet, signum erit, stilum habere debere solummodò longitudinem B I, ut umbræ suæ extremitate cadat in meridianam hypotheticam, ipso meridiei momento; unde si servare velis eandem stili longitudinem, aliæ lineæ proportionales sunt inveniendæ, sicut præscriptum fuit. Quod si supradictus arcus nullatenùs attingat longitudinem stili demissam; tunc impossibile est, ut stilus lineam meridianam attingat. 3°. Ideò suprà substilarem erigenda est perpendicu-

laris ejusdem longitudinis cum stilo : quia à centro horologii per extremitatem hanc disponendus erit axis horologii. 4°. Per extremitatem stili C, erigenda est axis perpendicularis, quæ secabit substilarem in D : quia inveniendus est radius æquinoxialis C D, qui translatus in punctum F, dabit punctum, à quo describendus est quadrans circuli, incipiendo à lineâ ductâ ab eodem puncto F, ad punctum, in quo vera meridiana secat æquinoxialem : ducendo quippe occultas per divisiones, habentur suprà æquinoxialem puncta horaria.

Aliâ faciliori viâ suprà planum verticale declinans, delineari poterunt horæ hoc modo. Inventis substilari & verâ meridianâ, demissâque perpendiculariter longitudine stili B H, à puncto H, ducatur recta ad punctum L, lineæ horizontalis ; & suprà hanc lineam ita constituatur horologium horizontale, ut ejus centrum sit in H ; & ejus linea meridiana coincidat cum lineâ H L ; tunc enim cæteræ lineæ horariæ horologii horizontalis, secando horizontalem, suprà ipsam designabunt puncta horaria quæsita.

Per calculum etiam cognosci possunt, quæ pertinent ad horologia verticalia declinantia, hoc modo.

1°. Cognitis delinatione plani & elevatione poli, loci cujuſdam, inveniri poteſt angulus, quem ſubſtilaris & meridiana loci conſtituunt in centro horologii, per analogiam ſequentem.

Ut ſinus totalis, ad ſinum complementi elevationis poli;
Ita ſinus totalis delinationis plani, ad ſinum anguli quæſiti.

2°. Cognitis delinatione plani & elevatione poli, inveniri poteſt angulus, quem ſubſtilaris & axis conſtituunt in centro horologii, per analogiam ſequentem.

Ut ſinus totalis, ad ſinum complementi elevationis poli;
Ita ſinus complementi delinationis plani, ad ſinum anguli quæſiti.

3°. Cognitis delinatione plani & elevatione poli, inveniri poteſt arcus Æquatoris comprehenſus circulum meridianum loci inter, & circulum meridianum plani, per analogiam ſequentem.

Ut ſinus totalis, ad ſinum altitudinis poli;
Ita tangens complementi delinationis plani, ad tangentem complementi arcûs quæſiti.

4°. Cognitis angulis, quos lineæ horariæ conſtituunt cum meridianâ in centro horologii horizontalis, & delinatione

plani, inveniri possunt anguli, quos lineæ horariæ constituunt cum meridianâ in centro horologii verticalis, per analogiam sequentem. Duo autem sunt casus: vel enim agitur de horis, quæ stant ex eâ parte, in quâ reperitur substilaris; vel de horis, quæ stant ex alterâ parte.

Ut sinus complementi differentiæ angulorum in primo casu, vel ut sinus complementi eorum summæ in secundo casu, ad tangentem complementi elevationis poli;

Ita sinus anguli horæ cujusque in horologio horizontali, ad tangentem anguli in centro horologii verticalis, pro simili horâ.

Quando Luna plena est, veras indicabit horas suprà horologia solaria: at in cæteris diebus, horis per Lunam designatis, addantur quæ per sequentem tabellam addenda præscribuntur.

Diebus					
2.	&	16.	. . . .	adde	48'
3.	&	17.	. . . .	1h.	36.
4.	&	18.	. . . .	2.	24.
5.	&	19.	. . . .	3.	12.
6.	&	20.	. . . .	4.	
7.	&	21.	. . . .	4.	48.
8.	&	22.	. . . .	5.	36.
9.	&	23.	. . . .	6.	24.
10.	&	24.	. . . .	7.	12.
11.	&	25.	. . . .	8.	
12.	&	26.	. . . .	8.	48.
13.	&	27.	. . . .	9.	36.
14.	&	28.	. . . .	10.	24.
15.	&	29.	. . . .	11.	12.

FINIS.



INDEX

Titulorum Tomi ſexti.

Finis.

In Tomo VI. errata.

PAg. 12. linea 18. causa finalis, *adde*, ultima.
P. 22. lin. 13. cognoscant, *lege*, cognoscat. Idem lin. 16.
P. 24. lin. 17. meræ, *lege*, merè.
P. 27. lin. 23. gloriam, *adde*, externam.
P. 44. lin. 28. intentiores, *lege*, intensiores.
P. 45. lin. 21. imminere, *lege*, innuere.
P. 47. lin. 17. Respondeo, *lege*, Respondeo 1°.
P. 48. lin. 20. Respondeo 1°. *dele*, 1°.
P. 90. lin. 26. mundi, *lege*, mundis.
P. 91. lin. 28. comedit, *lege*, comedet.
P. 95. lin. ult. ib er, *lege*, liber.
P. 138. lin. 26. intensione, *lege*, intentione.
P. 154. lin. 8. tenetur, *lege*, teneretur. Lin. 15. Non, *lege*, 2°. non. Lin. 19. Non, *lege*, 3°. non.
P. 167. lin. 16. dicendum, *lege*, dicendam. Li. 23. *appone* tantùm.
P. 189. lin. 24. qui, *lege*, quæ.
P. 203. lin. 6. legi, *lege*, lege.

P. 208. lin. 24. dico 1°. *lege*, dico.
P. 213. lin. 7. hæc, *lege*, hæ.
P. 222. lin. 13. communibus, *lege*, communis.
P. 257. lin. 8. altos, *lege*, altas.
P. 266. lin. ult. possint, *lege*, possent.
P. 273. lin. ult. ato, *lege*, dato.
P. 275. lin 20. In, *lege*, Primum in. Lin. 26. 2°. *lege*, Secundum.
P. 282. lin. 26. invigilant, *lege*, invigilent.
P. 287. lin. 24. exercitium, *lege*, exercituum.
P. 298. lin. 15. BAC, *lege*, ABC.
P. 299. lin. 7. BF, *lege*, EF. Lin. 13. eandem, *lege*, aliam. Lin. 19. CD, *lege*, BD.
P. 300. lin. 10. (fig. 52.) *lege* (fig. 53.) Lin. 13. & R, *lege*, & B.
P. 305. lin. 4. primo, *lege*, quinto.
P. 306. lin. 3. sit, *lege*, sic.
P. 307. lin. 16. FG, *lege*, EG.
P. 308. lin. 23. & F, *lege*, & E.
P. 320. lin. 18. dinis indicabit, *lege*, dinis horas indicabit.
P. 324. lin. 27. plano, *lege*, lineæ meridianæ plani.
P. 326. lin. 14. BAC, *lege*, ABC.
P. 330. lin. 12. puncto, *lege*, puncta. Lin. 15. EM, *lege*, FM. Lin. 17. puncto, *lege*, puncta. Lin. 20. in LEF, *lege*, in triangulo, LEF.
P. 332. lin. 24. CD, *lege*, CB. Lin. ult. DAE, *lege*, BAE.
P. 333. lin. 25. CAD, *lege*, CAB.
P. 336. lin. penult. in E, *lege*, in F.
P. 337. lin. 6. ipsum, *lege*, ipsam.
P. 338. lin. 4. axis, *lege*, axi.


In figura sexta Gnomonicæ, in centro horologii, apponatur, B: in pede stili apponatur A: & in extremitate stili apponatur D.

Pl. 1


51

53

55



2
3
4
5
B
F
5
B
4
3
8
7
6
5
4
3
2
1
12
11
10
9
8
7
6
5
4
A
G
A
C
12
1
2
3
4
5
4



Pl. 3.
5
A
D
C
6
E
B
6
7
B
8
9
2
10

B
4
D
C
M
A
10
4
5
E
G B
7
I
8
9
H
10
O
12
5
6
7
2
1







